

De
Syphilide kali hydriodico tractata,

Dissertatio,

quam pro licentia summos in medicina honores
rite capessendi publico eruditorum examini
subjiciet

auctor

Martinus Hassing,

Medicus secundarius nosocomii communis et legionis civilis Hauniensis.

Die   H. L. Q. S.



Hauniæ, MDCCCVL

Typis excudebat Bianco Luno.

Facultas medica Hafniensis hanc disquisitionem dignam censet, quæ pro licentia denique pro gradu doctoris disputandi publico examini subjiciatur.

G. Möller,
p. t. Decanus fac. med.

I.

Morbus syphiliticus, qui fortasse majorem, quam ullus alius, in vitam communem vim habet, omnibus ferme temporibus singulari medicorum curæ atque studio fuit addictus. Historiam ejus persequentibus nobis facile apparebit, diversis temporibus illustrissimos medicos in eo non versatos solum fuisse, verum etiam, alium alio magis, controversiæ, quæ diversis temporibus magno interdum cum ardore atque vehementia de indole hujus morbi fuit et, qui cum ea arcte cohæret, de curandi modo, fuisse participes. Ad curationem quod attinet, controversia in eo maxime versata est, utrum mercurialis, an antiphlogistica, quæ vocatur (sive diætetica, non mercurialis), medendi ratio esset præferenda. Itaque mercurius, qui in tota materia medica tantum valet, singularem ad syphilidem curandam locum obtinuit. Tum in coelum laudibus elatus est, tum rursus tanquam perniciosissimus omnino remotus. Antiphlogistica illa syphilidis curandæ ratio, quum proxime ab Anglia ante triginta hos annos paulo amplius profecta esset, maximam Europæ partem brevi pervagabatur et tantopere in universum probabatur, ut mercurium in perpetuum depulsura esse primo adspectu videri posset. In mediis his studiis, utra utri harum methodorum præferenda esset, certo dijudicandi, iodium in medicinam inductum est, id quod inter fructus, quos ma-

teria medica recenti tempore percepit, uberrimos referendum est. Quod quum in permulta morborum genera proximo sequente tempore in usum vocaretur, post demum, quod mirum videtur, certe latiorem in modum syphilidi adhibitum est, cui tamen externorum symptomatum cum morbo scrophuloso tanta sit similitudo; id quod inde, saltem ex parte, factum esse videtur, quod syphilidologi ad alteram illam rem animos tantopere intendebant; et tamen vix dubium est, quin iodium in hunc omnium morbum, struma fortasse excepta, maximum et felicissimum effectum præbuerit. Neque tamen, quantum judicare licet, aut hoc remedium aut methodus antiphlogistica mercurium loco demovebit, qui contra plerisque in terris magis in dies probatur, velut non solum, quales sunt Ricord et Baumés auctores, remedium in syphilidem secundariam princeps hoc statuunt, sed vehementissimi etiam ejus adversarii, velut *Desruelles* [1]), jam pristinam sententiam multum immutare coeperunt. Igitur adhuc quidem sub judice lis est, sed tota ejus historia indicare videtur, mercurium vulgo principem inter remedia antisyphilitica locum perbrevi esse adepturum.

Usus iodii in luem veneream primus omnium *Bichler* [2]) mentionem facit, qui singulum casum communicat, in quo unguentum e natro hydriodico adhibitum induratum bubonem syphiliticum, remediis mercurialibus et cataplasmate frustra tractatum, ad evanescendum redigeret. *Richond de Brus* [3]) primus tamen in hanc rem animos nonnihil convertisse videtur. Commendat usum tincturæ iodii ad bubones syphiliticæ indolis, casusque viginti, ex quibus multi mercurio restitissent, remedio

---

[1]) Lettres écrites du Val-de-Grâce sur les maladies vénériennes. Paris 1840. Behrend's Syphilidologie Bd. 5, p. 513.

[2]) v. Gräfes und v. Walthers Journal. Bd. 3, St. 2, 1822.

[3]) Journal complém. T. XIX. 1824. p. 195. Archiv général de médecine. Mars 1824, p. 321.

illo sanatos affert. Inflammatione prorsus sublata, ait, se tumori singulas vel binas drachmas tincturæ iodii quotidie illinere, quod semper per quinas vel senas horæ sexagesimas continuandum sit; si permagnus bubo atque inveteratus sit, se eam interne quoque porrigere; compluribus experimentis edoctum se esse, bubones pertinaces ita diebus octonis vel denis esse resolutos. Hunc tam prosperum eventum, sane non vulgari solum absorbenti medicaminis in systema lymphaticum virtuti, sed haud minus fortasse locali, stimulanti vel derivanti, tribuendum, unde huic methodo similitudo aliqua cum vesicatoriis in hos casus applicatis intercedit, nemo postea assecutus est. Ad induratos bubones syphiliticos iodium, extrinsecus imprimis adhibitum, a *Buisson*[1]) quoque et *Lallemand*[2]) laudatum invenimus; *Euseb. de Salle*[3]) chronicos testiculorum tumores, kali hydriodico interne et externe applicato, sanari se ait vidisse. In aliam præterea formam mali syphilitici, profunda et corrodentia faucium ulcera, remedium nostrum a *Martini*[4]) adhibitum est; sex etenim hujus generis casus affert, quorum in tres mercurius antea frustra esset tentatus, qui autem omnes, tinctura iodii intus porrecta, sanati sint, nullis recidivis ternos vel quaternos post annos apparentibus. *Bayle*[5]) quoque, quum sua, tum aliena experientia edoctus, prosperos iodii in morbos syphiliticos effectus commemorat.

His finibus observationum paucarum et ex parte non accurate relatarum usus iodii ad syphilidem hucusque circumscriptus

---

1) Bibl. de thérapeutique. Tom. I, p. 150.
2) Ephémérides méd. de Montpellier. Tom. I, Janv. 1826. Hacker Litteratur der syphil. Krankheiten. Leipzig 1830.
3) Journal complém. Vol. XIX. Septbr. 1824.
4) Rust's Magazin f. d. ges. Heilkunde. Bd. 23, p. 180. 1827.
5) Bibl. de thérapeutiqne. Paris 1828, p. 140.

fuit, annosque jam aliquot præterire invenimus, antequam mentio ejus renovatur, ita ut oblivioni traditum iri pæne videatur. Hucusque enim purum fere solum iodium tentatum erat, neque veri dissimile videtur, multa incommoda, quæ usus ejus debilitatis maxime ægrotis et sensibilibus interdum afferat, medicos ab experimentis, ea, quæ hic respiciatur, via continuandis, sæpenumero revocasse. Ita v. *Gräfe*[1]), qui per aliquot annos continuos remedium cum kali et natro maxime quidem conjunctum adhibuit, nimiæ hujus cautionis mentionem facit, ipseque ad ulcerationes et tumores osseos pertinaces et inveteratos, imprimis dyscrasia mercuriali simul præsente, magnopere commendat. Itaque dum kali hydriodicum in locum iodii puri paulatim succedit, Angli præcipue ad hujus usum animum advertunt. *Lyon*[2]) duos casus adhuc tradit, in quibus bubones ulcerati, mercurio frustra tractati, tinctura iodii in usum et internum et externum vocata, omnino sanarentur; eodemque successu *Mayo*[3]) tincturam iodii duobus ægrotis, qui inveteratis syphiliticis morbis cutaneis affecti essent, se adhibuisse dicit. Ante omnes tamen *Rob. Williams*[4]) frequentioris ejus in Anglia usus auctor fuisse videtur. Kali hydriodicum solum commendat ejusque adhibendi indicationes accuratius definit; quibus ad affectiones systematis ossei et periostei redactis, trienni nisus experientia, remedium salubre tamdiu solum statuit, quoad tumores in suppurationem vel ulcerationem nondum abierint; qua in periodo radix sarsaparillæ, eodem auctore, efficacissimum remedium habenda est. In ulcera

---

1) Walthers und Gräfes Journal 1834, Bd. 22, p. 61. Jahresbericht für 1833 von Gräfe.

2) London medical Gazette, Aug. 1832, p. 596.

3) Lond. med. and phys. Journal, June 1832. Hacker Litteratur der syphilit. Krankheiten, Leipzig 1839, p. 46.

4) London med. Gazette, April 1834, p 39.

syphilitica faucium negat se ullum unquam kali hydriodici percepisse fructum, contra observavit, hæc ulcera inter utendum aut prorumpere aut latius serpere; putat autem, efflorescentias cutaneas tuberculares nostro remedio sanatum iri. *Caswall*[1]) unguentum kali hydriodici tale expertus est, quod absorptionem bubonum suppurantium semper efficeret, ita ut eos aperiri non opus esset. *Fr. Tyrrel*[2]) kali hydriodicum ad syphilidem secundariam, cum scrophulosi complicatam, si universalis simul adest virium defectus cum irritabilitate morbosa conjunctus, tanquam specificum novum laudat. *Clendinning*[3]) antiphlogisticam medicaminis vim effert, multaque commoda, quæ usus ejus præter alia remedia hic afferat, illustrat; illam præcipue in certa inflammationum genera apparere, in eas quidem maxime, quæ in systemate osseo et periosteo hæreant originemque aut syphiliticam aut rheumaticam ducant. Ita Williams auctore in casibus, quos affert, tribus ad tumores osseos syphiliticos optimo cum successu id se ait adhibuisse. Item *Saville*[4]) casum affert, in quo kali hydriodicum ad periostosin syphiliticam pertinacem magnaque ad ulcera faucium, antea mercurio pluries tractata, vim suam salubrem illam exseruerit. *Winslow*[5]) denique remedium nostrum ad secundariam syphilidem, maxime ad duros periostei nodos, valde efficax quidem judicat, neque tamen hic quoque effectu carens optato se non vidisse.

Sic fere sese res habebat, quum *Wallace*[6]) suam de remedio nostro in syphilidem adhibendo sententiam divulgavit.

---

1) London med. Gazette. Novbr. 1834, p. 194.
2) Med. quart. Review. London, No. VI — 1835.
3) Lond. med. Gaz. 1835. p. 833 et p. 868.
4) Lond. med. Gaz. 1835, Juli, p. 550.
5) Lond. med. Gaz. Decbr. 1835. p. 400.
6) The Lancet 1835—36. Behrend Syphil. I, p. 102 et seqq., II, p. 195 et seqq.

Haud paulum quidem jam progressum erat, quod kali hydriodicum pro iodio integro, organismo sæpius infesto, paulatim fere vulgo in usum receptum esset, sed singula fere tantummodo et solitaria, quibus niti liceret, facta erant pervulgata; etiamtunc longe aberat, ut hujus remedii usus ita comprobatus esset, ut quasi nova inde quædam methodus syphilidis medendæ esset constituta. Wallace autem, celeberrimus ille Anglus, ideo haud mediocriter laudandus est, quod medicos, non Anglicos solum, verum etiam Germanicos Gallicosque, in hanc rem attendendam convertit. Quærebat eo tempore maxime de morbis cutaneis syphiliticis, quos novo modo in familiam vel seriem exanthematicam et pustulosam distribuit, quarum ratio diversa esset; etiamsi sæpe fieri posset, ut ex eadem læsione principali originem ducerent. Innixus casibus 142, diligenter observatis, quorum 97 eruptiones erant cutaneæ, ad hanc pervenit conclusionem maximi sane momenti, kali hydriodicum in posteriorem seriem princeps esse remedium, ad exanthematicam autem, forma ejus tuberculosa excepta, mercurium priorem locum tenere. Reliqui casus, quos nostro remedio tractabat, affectiones erant membranarum mucosarum, systematis fibrosi, synovialis osseique, tumores testiculorum, iritides et gravidæ lue infectæ. Quum auctoritas ejus summa, tum experientiæ copia, tum quo rem amplexus est studio, ad medicos observationibus ejusmodi conciliandos maxime erant idonea, neque vero præter exspectationem ita evenit, quod proximo deinde tempore multo majorem, quam pro observationibus Wallacei, in medicamine nostro spem vulgo posuerunt.

Fatum ejus diversis in terris jam persequentibus nobis apparet inter *Germanos* primum *Ebers*[1]) id tanquam speci-

---

[1]) Med. Zeit. des Vereins f. Heilk. im Preussen, 1836. No. 40—41.

ficum, brevi fortasse mercurium supervacaneum redditurum, prædicare. Eximium enim, ubi processus hypertrophicus prævaleret, imprimis si systema cutaneum osseumve affectum esset, remedium expertus est, iners autem, ubi contra atrophicus appareret. Quinque scilicet in casibus affectionum structuræ osseæ et periosteæ, quorum duo cum efflorescentiis cutaneis essent conjuncti, optatissimum ejus effectum observavit. Wallacem auctorem secutus *Haselberg*[1]) quoque ægrotos singulos, periostosibus, tophis ulceribusque faucium affectos, antea frustra mercurio tractatos, sanavit, quibuscum observationibus nonnullæ *Mierendorphii*[2]) et *Kratzensteinii* in universum consentiunt. Ulcera inveterata et corrodentia, solitis omnibus remediis resistentia, *Müller*[3]), usu medicaminis externo et interno tentato, prorsus sanari vidit. *Hacker*[4]) prosperrimos ejus effectus, non ad secundarias solas syphilidis formas fere omnes, sed etiam ad casus primarios neglectos cognovit. *Hancke*[5]) eidem ad luem veneream mediocrem sane tribuit laudem. Contra *Asmus*[6]) virtutis ejus salubris, et atrophica et hypertrophica syphilidis forma prævalente, exempla affert. In cariem ossium nasi cum ozaena a *Malin*[7]) simulcum radice sarsaparillæ feliciter adhibitum est, quum contra simili in casu *Seidlero*[8]) non satisfecerit, qui ad mercurium sublimatum corrosivum cum decocto dulcamaræ confugere coactus sit.

---

1) Med. Zeit. d. V. f. Heilk. im Pr. 1837, No. 48.
2) Ibid. 1837 No. 49.
3) Heidelberger med. Annalen 1837. Bd. 3, p. 600.
4) Summarium der gesammten Medicin 1838, No. 7, p. 420.
5) Jonrnal v. Gräfe und Walther, Bd. 26, p. 546.
6) Caspers Wochenschrift 1838, p. 727, et Rust's Magazin f. d. ges. Heilk. Bd 29, p. 46. 1839.
7) Med. Zeitung d. V. f. H. im Preussen 1839, No. 11.
8) Id. l. 1839, No. 42.

Neumann [1]) tum solum efficax expertus est, quum syphilis structuram fibrosam tentasset, affectiones contra systematis cutanei et mucosi aut immutatas aut imperfecte sanatas remanere. A *Brach* [2]), *Ordelin* [3]), *Kallmann* casus diversos quum secundarios, tum maxime primarios vulgatos videmus, quibus in omnibus remedium nostrum eventum plane exoptatum afferret. *Sinnmayer* [4]) ozaenam admodum inveteratam lateque corrodentem, cum carie ossium nasi et cachexia mercuriali manifesta complicatam sanavit. *Thortsen* item et *Ruhbaum* [5]) faustos eventus commemorant quum necrosis diffusæ simulcum denudatione ossis et partium mollium destructione, tum cariei gravis ossium palati et intumescentiæ dolorificæ ossis frontis, in quo tamen postremo ægroto morbus recidivus brevis sequeretur. *Thierfelder* [6]) in ægrotis duobus, qui antea frustra mercurium sumpsissent, tophos complurium ossium pertinaces, dolores nocturnos, ulcera faucium, kali hydriodico adhibito, fere omnino sanata vidit. Idem *Mojsisovits* [7]) summo studio commendat, neque tamen ad symptomata primaria, ad secundaria autem, inveterata maxime et cum mercurialismo complicita, via et externa et interna adhibendum, casusque affert complures, qui omnes magnis quum telæ osseæ, tum mucosæ, tum cutaneæ ulceribus essent distincti. *Gusmann* [8]), in omnes luis formas remedium expertus, in primariis id nun-

---

1) Med. Zeitung d. V. f. H. im Preussen 1839, Nr. 50.
2) Id. l. 1839, Nr. 49.
3) Id. l. 1839, Nr. 51.
4) Oesterreich: medicinische Jahrbücher Bd. 29, St. 4.
5) Medic. Zeitung 1841 — Nr. 3.
6) Summarium der gesammten Medicin 1842 — Nr. 21.
7) Oesterr. medic. Jahrbücher Bd. 22, St. 1 — Oesterr. med. Wochenschrift, Novbr. 1842 (Behrends Syphil. Bd. 5. p. 599).
8) Oesterr. med. Jahrbücher, 1843, Januar, p. 16.

quam, in secundariis tunc solum exspectationi respondere cognovit, quum mercurialia antea frustra essent adhibita; quod si factum esset, semper optimo cum successu quum in formis omnibus mitioribus, tum in valde inveteratis gravissimisque, se remedium adhibuisse. Posterioris generis quatuor morborum historias ad sententiam suam probandam affert. *Neuber*[1]) phthisin laryngeam syphiliticam late diffusam, kali hydriodico adhibito prorsus sanatam descripsit. Novissimus *Hauck*[2]) sententiam suam de syphilide kali hydriodico tractata, quadringentis fere casibus nisam, vulgavit. Cujus dissertatio sicut ad argumentum nostrum illustrandum plurimum sine dubio confert, ita dolendum est, summas tantummodo atque fines earum, quas expertus est, rerum ita generaliter exposita in ea contineri, ut certa ratione satis æstimari non possint; deinde observationibus incertis illis multum detrahitur, quod semper diætam parcissimam, veram persæpe restrictam, quæ vocatur, cum toto, quod huc pertinet, regimine simul præscripsit, ut inde haud constet, quinam diætæ, quinam kali hydriodico effectus sint tribuendi. Quum in primaria symptomata nunquam ferme non frustra id applicaret, ad secundaria et maxime tertiaria efficacissimum expertum se esse affirmat, idque magis, quo magis ægrotus cachecticum habitum valetudinemque corruptam præberet. A *Dietrich*[3]) denique multis locis, ab aliisque remedium commemoratum invenimus atque laudatum.

Litteræ Germanicæ quamquam ad indolem et curationem syphilitici morbi in universum illustrandam recentissimo tempore pro rata parte minus contulerunt, tamen hac una in re nume-

---

[1]) Holscher's hannov. Annalen 1842, p. 317.

[2]) Med. Zeitung v. V. f. Heilk. im Preussen 1843, Nr. 28—29.

[3]) Die Krankheitsfamilie Syphilis. I-II. Bd. 1834—42. Walther's u. Gräfes's Journal. Bd. 29, Hft. 3. — Neue med.-chir. Zeitung Nr. 34. 1843.

rum observationum haud parvum sane in medium protulisse apparent, quæ, licet maxima ex parte sint solitariæ, tamen in universum tanti certe sunt ambitus tantique momenti, ut, novam hanc syphilidis medendæ methodum in Germania vulgo receptam et comprobatam esse, constare videri possit.

Inter *Anglos* quoque hic curandi modus, quem tractamus, celerrime ad omnes pervasit, quemadmodum apud *Staberoh*[1]) legimus, quamquam secundum experientiam ejus, in itineribus per Angliam collectam, de utilitate ejus et ambitu ei tribuendo nonnihil dissentiebant. *Judd*[2]), qui se hujus remedii ad syphilidem primum fecisse periculum ceterum gloriatur, ad symptomata secundaria in universum magnopere commendat, quatuor felices omnes affert casus, in quibus non solum cutis et membranæ mucosæ, sed etiam systema osseum morbi sedes præcipua esset, quorum ad duos saltem mercurius frustra adhibitus fuisset. *Johnson*[3]) qui Juddum impugnat, vim ejus multo magis dubiam existimat, sed tamen valde salutiferam expertus est, ubi morbus, mercurio male adhibito, aliave de causa, characterem cachecticum traxisset, ulcerationesque cutaneas, nodos, caries ossium, alia similia præberet; neque tamen raro morbos recidivos, etiam reiteratos, observavit. *Bullock*[4]) undecim casus tradit, in quibus omnibus systema osseum et periosteum affectum esset, ad quos omnes, uno excepto, mercurius antea fuisset adhibitus, et post annum fere sanationem nullum secutum esse recidivum. *Laycock*[5]), effectibus radicis sarsaparillæ et kali hydriodici in syphilidem inter se comparatis,

---

1) Caspers Wochenschrift f. d. ges. Heilk. 1838. Nr. 5.

2) A practical treatice on Urethritis and Syphilis. London 1836, 8.

3) The medico-chirurgical review, January 1837, p. 188.

4) The Edinburgh med. and surgical Journal, Vol. 47, 1837, p. 154.

5) London med. Gazette, March. 1839, p. 821.

hoc in universum præferendum esse, in ulcerativam morbi formam affectionesque systematis ossei saluberrimum sese præbuisse judicat, cujus rei exempla quatuor affert. Experientissimus *Herbert Mayo* [1]) in libro de syphilide scripto mentionem facit kali hydriodici, tanquam remedii efficacissimi locumque post mercurium proximum tenentis. Ad pleraque luis secundariæ symptomata et quidem præcipue ad omnes ejus varias efflorescentias cutaneas, quales sunt psoriasis, lichen, tubercula, pustulæ, aliæ, optimo cum successu id adhibet. Observationibus plurimis nititur, sed semper fere hoc cum decocto sarsaparillæ conjunctum porrigit, unde fit ut multum de pretio earum detrahatur. *W. Acton* [2]) in libro suo plane nihil nisi sententias Ricordi, magistri sui celeberrimi, refert. Clarissimi *R. Carmichaelis* [3]) de magna kali hydriodici in morbis venereis curandis gravitate sententia iis, quæ Mayo affirmavit, in universum congruit. Experientia uberrima, cujus casus haud paucos affert, nixus ad eruptiones secundarias papulosas et pustulosas, quæ dicuntur, ad exostoses et periostoses, etiam cum sarsaparilla vel tartaro stibiato conjunctum remedium fere semper adhibet; neque tamen non interdum ad mercurium confugere cogitur. Auctore *Graves* [4]), qui remedium nostrum ad syphilidem sanandam haud raro porrigit, iis ægrotis maxime convenit, qui antea mercurio temere et incaute usi sint; deinde ubi lues structuram osseam, periosteum, membranas mucosas cavitatis oris et faucium infestaverit, vel etiam condylomata, tubercula in

---

[1]) Treatise on Syphilis, London 1840, deutsch übers. in Behrends Syphil. Bd. 6, p. 168.

[2]) A complete practical Treatise on venereal Diseases, London 1841.

[3]) Clinical Lectures on venereal Diseases, Dublin 1842 — deutsch übers. in Behrend's Syphil. Bd. 5, p. 1 et seqq.

[4]) System of clinical Medicin, deutsch übers. v. Bresler, Leipzig 1843.

genitalibus eorumque circuitu progignat. *Osbrey*[1]) quoque in iisdem fere morbi formis hoc commendat casusque nonnullos ad sententiam suam confirmandam affert. Contra *West*[2]) ad symptomata talia tincturam iodii et mercurium alterna in usum revocavit faustosque eventus inde observavit.

Ad eandem, quam diximus, sententiam complures præterea medici Anglici de nova hac curandi methodo disputarunt[3]), unde quodammodo elucebit, kali hydriodicum ex remediis antisyphilicis, mercurio excepto, frequentissime in Anglia adhiberi.

Galli, minus illi quidem in universum, quam Germani et Angli, Wallacis auctoritate commoti, eodem tamen tempore curationem ab eo commendatam et introductam persæpe adhibere coeperunt. Velut *Lucâs-Championnière*[4]), discipulus Cullerieri, et kali hydriodicum et iodium in tumores testiculorum, tubercula cellulosa, affectiones cutaneas et osseas, in quæ omnia ea applicari sæpe viderit, efficacissima judicat. *Gibert*[5]) tamen commemorat, iodium ut remedium antisyphiliticum anno 1837 Lutetiæ Parisiorum nondum fere esse adhibitum. Itaque *Ricord*, syphilidologus celeberrimus atque experientissimus, primus inter Gallos vulgo animos in hanc rem convertit. Qui quum nova ratione symptomata syphilitica in primaria, secundaria, tertiaria distribuisset, comprobare deinde studebat, posteriores duas classes, quod ad indolem symptomatum attineret, prorsus inter se diversas esse, ideo diversa quoque medicamina requirere, magnoque abservationum numero nixus ad præstantissimum hunc finem pervenit, mercurium contra symptomata secundaria

---

1) Dublin Journal, July 1842. Schmidts Jahrbücher. Bd. 36, p. 158.

2) London med. Gazette. Octbr. 1842.

3) Behrends Syphilidologie. Bd. 2, p. 630.

4) Recherches pratiques sur la thérapeutique de la syphilis, Paris 1836, p. 138.

5) Manuel pratique des maladies vénériennes. Paris 1837, p. 246.

omnium efficacissimum esse habendum, kali hydriodicum, in secundaria prorsus iners, in tertiaria non princeps solum, verum etiam unicum esse remedium [1]. Qui quum primus censendus sit, qui indicationes remedii nostri in syphilidem adhibendi plane certas et plenas constituerit, sententiasque ejus nunc multis in terris vulgo sequantur medici, accuratius infra de iis disputabimus. Discipulorum Ricordi complures ad sententias ejus illustrandas vel confirmandas litteris scriptis contulerunt. Velut *Rattier* [2]) nonnulla, quæ hac de re reputavit, communicat. Item *Lafargue* [3]), Ricordi merita prædicans, casum affert, in quo affectio inveterata ossium faciei et tibiæ, antea mercurio frustra tractata, remedio nostro complete sanata sit, et postea [4]) casum ulcerationis multiplicis faucium profundæ lateque diffusæ, eodem modo sanatæ. Celeb. Baumès [5]), qui kali hydriodicum in universum multo minoris, quam Ricord, æstimat, in luem inveteratam, ubi symptomata valde increverint, imprimis mercurio frustra tentato, ossiumque systemate præcipue affecta, efficacissimum habet, effectus ne vero ejus semper sit duraturus, dubitat. *Giraudeau de St-Gervais* [6]), quod ad usum iodii in syphilidem pertinet, eodem, quo Richond, loco substitit. Complures observationes magis solitarias contulerunt; velut a *Trousseau* [7]) casum divulgatum invenimus, in quo kali

---

1) Bulletin général de thérapeutique, Juillet 1839 (Encyclographic des sciences médicales, Septbr. 1839). Id. lib. Juillet 1840 (Encycl. des sc. medic., Aout 1840).

2) Gazette des hopitaux, 19. Mars 1839 (Encycl. des sç. med. Avril 1839).

3) Bullet. gén. de thérapeutique 1840, Tom. 19, p. 340.

4) Bull. gén. de thèrap. T. 21. Liv. 9 & 10.

5) Précis théorique et pratique sur les maladies vénériennes, Lyon 1840, I, p. 371; II, p. 526—30.

6) Traité des maladies syphilitiques. Bruxelles, 1841, p. 279.

7) Gazette des hopitaux, 1841, Janvier 23.

hydriodicum in cariem ossium nasi et permagnas faucium ulcerationes vim suam exsereret. *Lisfranc*[1]) tres ægrotos, profundis affectionibus systematis ossei et cachexia graviter affectos, qui omnes sanati sint, commemorat. *Seguin*[2]) eundem prosperum eventum quinque casuum gravissimorum, varium habitum externum, formam vero ulcerosam magna ex parte præbentium, expertus est. *Langevin*[3]) item sex observationes syphilidis secundariæ et tertiariæ affert, quorum sanatio temporis spatio solito breviori consecuta est. Eodem loco similes casus prosperos, a *Rodrigues*, *Smolenski*, *Serre* observatos invenimus.

Inter *Suecos Grill*[4]) et *Liljewalck*[5]) kali hydriodici in syphilidem usum commemorant. Ceterum nunc non in Suecia solum, sed in Dania quoque et Norvegia hæc curatio vulgo recepta est, neque tamen, quantum compirere potuimus, quidquam admodum, quod ad hanc rem illustrandam spectaret, divulgatum est.

Videmus igitur, recentissimam hanc syphilidis medendæ methodum in terris maximi momenti jam probatam esse, simul autem, quam diversis ibi conditionibus sit adhibita. Omnis dissertatio, cui propositum est, ut ad pathologiam et therapiam luis venereæ conferat, singularibus semper premitur difficultatibus. Si consideraverimus, multum adhuc abesse, ut mercurialis hujus morbi curatio omnes in partes explicata sit, haud mirum nobis videri poterit, quod item, ad kali hydriodicum quod attinet, procul a fine optato distamus. Ad pretium itaque

---

1) Gaz. des hopitaux. 1842, Nr. 54.

2) Bull. gén. de thérap. T. 21, Livr. 11—12.

3) Bull. gén. de thérap. Juill. 1842.

4) Hygiea, Mai 1840.

5) Hygiea, April 1841.

methodi illustrandum necessarium esse putamus, observationes non perpendi solum, verum etiam numerari, id quod nondum factum est.

Quemadmodum hucusque non fecimus, ita neque in sequente disputatione ullam gonorrhoeæ et orchitidis gonorrhoicæ, quæ, nostra quidem sententia, a syphilide prorsus sejungenda sunt, rationem habebimus. Neque ulla ioduretorum hydrargyri æstimatio fiet, quæ, quoad nosmetipsi effectus eorum observavimus, inter remedia mercurialia plane referenda sunt.

II.

Satis constat, quantum operæ impenderint auctores, ut multiplicia luis symptomata in certas classes redigerent, quamque alia via alii ad hunc finem se pervenisse existimarint. Dum alii ea, quantum fieri potuit, ad paucas et quodammodo simplices formas retulerunt, alii faciem eorum plane proteiformem exhibuerunt, quorum posteriorum celeb. Wallace gravissimum exemplum exstitit. Qui quum novam morbi non primariorum solum, sed etiam universalium symptomatum divisionem proposuerit, verisimillimumque sit, posteriorem hanc ex quæstionibus ejus de effectu et usu kali hydriodici in syphilide habitis profectam esse, sententia ejus [1]) examini diligentiori subjiciatur necesse est.

Quemadmodum primarios viri syphilitici effectus duas formas præcipuas exhibere posse probat, legitimam, quæ pustula sit primaria ulcusque inde oriens characteristicum, et modificatam, quæ species permultas amplectatur; ita duas eruptionum venerearum cutanearum familias statuit, pustulosam et exanthematicam, duabus illis formis primariis plane respondentes, quæ, quamquam earum utraque complures in se varietates comprehendat, tamen quum initiis diversis, tum externis signis manifestis satis distinctæ sint. Quæ formam legitimam illam primariam sequatur lues constitutionalis, eam, quum

---

[1]) The Lancet 1835—36, Behrend's Syphil Bd. I—II.

faciem præbeat et habitum, tum ad ecthyma, acnem, impetiginem fortasse, tum etiam ad rhypiam referenda, formationes igitur crustarum quoque diversissimas neque minus ulcera consecutiva, diversæ quidem magnitudinis, semper autem profunda et impura præbere. Membranis mucosis faucium maxime et narium ulcerationes profundas illas et corrodentes secum eam afferre. Horum malorum kali hydriodicum remedium inter omnia princeps esse.

Syphilidem primariam modificatam sive exanthematicam modo phagedænicam, aut superficialem aut catarrhalem (gonorrhoeam); modo induratam aut annularem aut fungosam speciem offerre. Hæc omnia magnam symptomatum seriem, accurate tamen distinctorum ac definitorum, insequi posse, velut varias condylomatum species, et persæpe, fortasse etiam semper, cum his conjunctum apparere primum singularem statum morbosum oris interni, plagas majores aut minores, paulum elevatas aut vere excoriatas, aut, id quod sæpius fiat, strato epithelii gryseo-albido obductas, quasi lapide infernali tactas, præbentem; deinde, item fere semper colorationem quandam cutaneam, maculas scilicet parvas et irregulares neque limitatas, quasi morbillosas, rubescentes, cupreas, leviter bruneas vel gryseo-bruneas, interdum etiam vix conspicuas. Efflorescentiam etiam in elevationes parvas papuliformes, quæ in tubercula sæpe abire possint, aut in squamas, aut in vesiculas et bullas, tubercula interdum in ulcerationes, initio superficiales, postea quidem profundiores sese evolvere posse. Affectiones texturæ osseæ, fibrosæ synovialisque rariores hic quam in priore familia apparere. In secundaria totius hujus classis symptomata mercurium sine ulla dubitatione præferendum esse.

Wallace hactenus.

Non putamus, totam hanc rationem in recta earum, quas

natura nobis offerat observandas, rerum æstimatione esse positam.

Quod ad *symptomata primaria* attinet, ipse concedit, hæcce omnia ex eodem contagio originem habere, horumque varietates multiplices non ex multiplici contagii genere, sed ex modificata hujus indole proficisci. Quæ sententia quum ad ipsam rem, nobis propositam, non pertineat, hoc loco accuratius disquiri non potest. Examinationem, via experientiæ institutam, plane effugere nobis videtur; putamus enim, pro certo decerni omnino non posse, ulcus in casu quodam oblatum utrum modificatum sit, an legitimum; sæpe vidimus, quum excoriationem exiguam, superficialem, tum ulcus profundum, interdum quum superficiem granulantem, puram, post ulcerationem restantem, tum ulcus nuper ortum, in destructionis stadio distinctum, inoculatione eundem effectum produxisse, pustulam et ab initio et in toto progressu maxime characteristicam. Fortasse inoculatio ad hanc rem prorsus nihil probat, attamen contrarium nobis persvasum est. Fieri quidem posse, ut inoculatio et vulgaris contagii infectio inter se diversa sit, facile concedimus, neque vero, ut ratio, quæ inter eas intercedat, hoc saltem tempore accuratius illustretur.

Jam quod ad *necessitudinem pertinet, quæ formis cutaneis secundariis cum primariis, et ipsis illis inter se intercedit*, multa significare videntur, Wallacem ipsum infirmitatem disciplinæ suæ magna ex parte sensisse, licet verbis ab hoc prorsus discrepantibus sæpe utatur.

Wallace in theoria sua constituenda fundamento parum firmo, doctrina, quæ est de modificatione, quam vocant, morbi, in universum nititur. Sine dubio enim concedendum est, notionem modificationis, si de signis morbi externis agatur, tam vagum quiddam et subjectivum continere, ut ad consensum communem raro perduci possit, sin de interna, haud perspi-

cua, morbi indole agatur, finem optatum multo etiam longius distare. Hac ratione omnis semper morbus modificatus est, quatenus ex constitutione cujusque individuali multisque aliis rebus pendet; illa ratione notio modificationis, quo magis proteiformem morbus, de quo adhibetur, se præbet, tanto fit incertior. Inter quos posteriores morbos luem veneream, si non principem, at præcipuum locum tenere, inter omnes constare putamus.

Morbos cutaneos syphiliticos jam maxime respicientes, eo propensi sumus, ut et Wallacem et alios permultos externis eorum et primariis maxime formis nimium tribuisse existimemus. Morbus etenim scrophulosus utrum formam cutaneam eczematis chronici, impetiginoidis, an impetiginis præbeat, haud ita magni æstimatur, vel saltem divisionem scrophulosis non adducit; observationes dein recentissimi temporis, apud nos quoque uberrime factæ, docent, variolas quum veras, quas vocant, tum modificatas, et pustulas, easque quidem specie diversissimas, et vesiculas permanentes, liquore diversi coloris impletas, in uno etiam ægroto eodemque tempore præbere posse, neque solum vesiculas in pustulas abire posse, verum etiam, sicut ipsi observavimus, pustulas in bullas vesiculosas, cet:, ita ut notiones variolarum et varioloidum ratione nonnihil commutata accipiendæ sint. Igitur a priori nihil esse videtur, cur verbi causa inter vesiculam et pustulam syphiliticam ita distinguatur.

At syphilides fortasse nihilominus duas classes, manifeste disjunctas neque se invicem attingentes, constituunt?

Primariorum symptomatum habita ratione, Wallace ipse [1]) formam modificatam speciem pustulæ primitivæ præbere posse

---

[1]) A Treatise on the venereal disease. Lond. 1838, deutsch übers. v. Behrend. Berlin 1842, p. 189 et seqq.

concedit; nobis ex altera parte dubium id quoque videtur, num forma legitima primaria a primo ortu semper necessario pustulam constituat; videmur enim nobis observasse, ab excoriatione minima incipere eam posse. Non necessarium putamus, quemadmodum primariæ formæ altera in alteram verti possint, pluribus verbis persequi.

Si *consecutionis* respecta fuerit *ratio*, quæ inter syphilitica symptoma primaria et efflorescentias secundarias intercedit, ne ea quidem ullius disjunctionis justam causam præbebit. Quin syphilides squamosæ vel papulosæ pustulam legitimam characteristicam ulcusque primarium subsequi possint, procul dubio esse putamus et uberrima experientia ita confirmatum, ut observationibus allatis hoc illustrare operæ pretium non esse nobis videatur. Contra, formæ primariæ modificatæ, quam Wallace vocat, secundariam pustulosam succedere posse, hanc opinionem verisimilem quidem habuimus, nullum autem, qui satisfaceret, casum ut exemplum apud auctores allatum reperire potuimus. Quæ res fortasse partim inde efficitur, quod veræ syphilides pustulosæ in universum nonnihil rariores occurrunt, partim inde quod forma primaria, quæ efflorescentiæ pustulosæ secundariæ causa fuit, aut nihil aut non satis diligenter fuit observata. Illam tamen opinionem hac observatione nuper confirmari vidimus:

A. M. P., 22 annos nata, meretrix publica, constitutione nonnihil lymphatico-scrophulosa, anno ætatis sexto efflorescentiæ crustosæ cuidam partis capillatæ capitis et circiter sex abhinc annos ophthalmiæ levi obnoxia fuit, ceterum semper optima valetudine gavisa. Ante tres annos et dimidium, jam inter mulieres publicas inscripta, conjunctivitide et keratitide scrophulosa satis gravi affecta, hoc in nosocomio remediis in hunc mobum solitis adhibitis, sanata abiit. Quum die 23 mensis Augusti a. 1844 in nosocomium iterum intrasset, decem

abhinc dies a medico politiæ explorata sana reperta est. Jam quidem per sex dies affectionem, ut dicit, levem genitalium animadvertit. Nunc quidem observatur in media parte superficiei internæ labii minoris dextri ulceratio oblonga, lineas duas et dimidiam longa, unam lata, in universum superficialis, fundum nonnihil pallidum, satis purum, marginem omnino non excavatum neque limbum abscissum, sed areolam et basin induratam offert crustaque dura et aliquantum grysea obtecta est, qua ablata, liquor tenuis, serosus, vix pellucidus effunditur Genitalia ceterum sana neque alia signa syphilidis usquam deteguntur. Insitio liquoris facta est, quæ non successit.

Fundus ulceris acido nitrico tactus est.

Foment. aqu. saturn. appl.

Aug 28. Crusta illa aliqua ex parte regenerata, adspectus ulceris fere immutatus, durities circumfusa quidem adaucta.

Insitio reiterata est, sed cum eodem successu,

Ulcusque acid. nitr. tactum.

Septbr 2. Ulceratio adaucta, secretio illa liquoris serosi persistit, induratio circumferentiæ æque notabilis. Tumor levis glandularum inguinis dextri accessit.

Die 10 Sep. Status ulceris et indurationis circumdatæ fere idem atque antea; bubo inquinalis ille major palpatur et pressione paulum dolet, duo minores præterea apparuerunt. Ulcus, per quatuordecim dies acido nitr. non tactum, adspectum nonnihil meliorem præbet.

Et ulceri et bubonibus appl. catapl. emoll.

Septbr. 16. Ulcus sanatum est, sed durities notabilis illa adhuc restat, tumores glandulares decreverunt.

19. In superficie interna extremitatis inferioris labii minoris dextri accessit ulcusculum, diametrum lineæ unius refe-

rens, quod fere eundem habitum atque ulcus antecedens præbet; insitio facta est,

23. quæ non successit, ulceratio fere immutata; in media parte superficiei externæ labii minoris dextri apparet tuberculum singulum mucosum.

Octobr. 7. Prægressis per circiter sex dies symptomatis febrilibus levibus, lassitudine universali, cephalalgia, anorexia aliquali, pulsu paulum frequente et quasi rigiditate artuum nonnulla, heri efflorescentia cutanea prorupit, quæ, regiones genitalibus proxime adjacentes occupans, pustulas ostendit paucas, parvas, discretas, elevatas, areolis intense rubris, cupreis circumdatas.

16. Efflorescentia illa per dies præteritos in femora, crura, deinde in extremitates superiores, postremo in truncum sensim sese extendit, ubique quidem satis parca, sed in extremitatibus tamen frequentior. Sicut antea format pustulas irregulariter discretas et parvas, elevatas, fere conicas, areolis cupreis illis, nonnihil elevatis et induratis præditas. Color cutis in universum paulum squalidus observatur. Status ægrotæ universalis normalis.

℞ *Protoiodur. hydrarg. gr. x*
Opii puri gr. v
Succi liquirit. ℈j
mf. pill. No. XX
d. pill. una mane et vesp.

20. Pill. octo sumpsit, halitus mercurialis nonnullus haud deest, gingivæ paulum rubræ et tumidæ, os internum dolere incipit, salivatio quoque levis. Pustulæ paulum quasi collabi et in ipsis apicibus corrugari incipiunt.

24. Pilulis quatuordecim adhibitis, jam salivatio adest sat larga, gingivæ et lingua magis tument, rubent dolentque.

Pustulæ ubique imprimis in extremitatibus inferioribus exsiccari incipiunt crustasque gryseas, satis tenues, haud ita adhærentes relinquunt, rubor circumdatus minus quoque intensus, areolæ vix tam elevatæ.

25. Salivatio larga adaucta est.

Sepon. pill.

27. Pustulæ pleræque exsiccatæ, crustis illis restantibus, modo in brachiis quatuor vel sex etiamnunc impletæ cernuntur, rubor et elevatio areolarum decrescere persistunt. Salivatio immutata. Genitalia jam ubique sana.

30. Crustæ fere ubique delapsæ, ruborem adhuc leviorem, vix amplius elevatum, neque, ut videtur, cicatrices reliquerunt. Pustulæ brachiorum modo descripto jam exsiccatæ.

Novembr. 3. Maculæ rubræ illæ semper decrescentes fere evanuerunt

Novbr. 6. Post maculas decolorationes modo restant levissimæ, gryseæ. Salivatio fere nulla.

Hæc quidem observatio haud parvi nobis videtur esse momenti. Adest nobis ægrota, quam, prout in ejusmodi casibus, quam fieri potest certissime, nulla unquam antea affectione syphilitica, unde symptomata ejus præsentia secundaria originem habere possint, laborasse scimus. Non solum repetita ejus asseveratio constantissima, verum etiam, quæ res multo majoris est momenti, quod plus quadriennio statæ et diligenti medici politiæ explorationi obnoxia fuit, ad hanc rem probandam sufficere debet. Iam per coitum affectionem primariam sibi contrahit, quæ mox habitum externum præbet, qui, Wallace auctore, ad syphilidem primariam modificatam, nominatim ad formam ejus induratam, satis certo referendus sit. Præterea insitio reiterata omnino sine fructu tentata est, quod signum ejus proprium satis constans quoque sit. Tum tuberculum mucosum apparet, quod idem Wallace in seriem

exanthematicam refert. Septem autem septimanis post primarium symptoma animadversum præteritis, efflorescentia prorumpit cutanea, exemplum syphilidum pustulosarum distinctarum, acnes scilicet, manifeste præbens, quæ etiam apta curatione, quum decursum solitum suum præbuerit, evanescit.

Paulo supra attigimus, duas illas series symptomatum luis primariæ a Wallace propositas alteram in alteram transire; hic vero transitus et quasi coalitus in *secundariis formis cutaneis*, quæ in dissertatione nostra longo majoris sunt momenti, multo magis est manifestus atque apertus.

Contendere nobis licere putamus, seriem exanthematicam et pustulosam in plurimis casibus nonnisi initio aperte diversam esse. Si ita acne vel ecthyma syphiliticum tempestive exsiccatum erit, crustas tenues vel squamosas deposuerit, simulque areolæ nonnihil pallidiores factæ erint, magna hujus efflorescentiæ cum forma papulosa vel squamosa similitudo apparebit; sin induratio et rubor restiterint, sæpe a tuberculis incipientibus vix discerni poterit. In universum satis manifestum est, acnem verbi causa sæpeque ecthyma toto habitu externo ad formam papulosam vel squamosam multo propius quam ad rhypiam accedere.

Quomodo contra syphilides vesiculosæ, quæ secundum Wallacem ad seriem exanthematicam pertinent, in pustulosam brevi transire possint, historia morbi illustrare liceat:

S. M., 30 annos nata, scortum, constitutione nonnihil cachectica, a. 1843 die 21 mens. Februarii in nosocomium commune recepta est. Jam bis antea, quinque et quatuor abhinc annos, in eodem nosocomio ob syphilidem universalem, mercurio ad salivationem et kali hydriodico tractatam atque sanatam, decubuit, ceterum nullos morbos passa est graviores. Nuper, ut refert, affectionem dolorificam quandam orificii ani animadvertere coepit, et exploratione jam observata est ulce-

ratio notabilis in latere dextro orificii sita, diametrum pollicis fere unius referens, rotunda, impura, grysea, haud adeo profunda, nonnihil luxurians, valde dolens, ita ut somnus nocturnus inde sæpius turbetur, et incontinentiam excrementorum secum afferens. Mariscæ præterea complures, haud dolentes orificium cingunt. Genitalia externa et interna sana.

Tang. lapid. infern.
Foment. aqu. saturn.

D. 2 Martii. Ulceratio minus impura, minus dolens, bene deminuitur.

D. 6 Martii. Jam excrementa retinere valet ægrota. Ulcus decrescens indolem multo meliorem præbet.

Cont. lap. inf. et aqu. saturn.

D. 9 Martii. Ulceratio granulans et purior quotidie deminui observatur.

D. 18. Ulcus fere sanatum apparet.

D. 28. Ulcus jam sanatum est.

D. 4 Aprilis. In lumbis, natibus et superiore femorum parte maculæ minimæ, discretæ, gryseo-rubescentes, pleræque squamulis haud splendentibus obtectæ proruperunt. Color cutaneus in universum quasi squalidus apparet.

℞. *Kali hydriod ʒij*
Aqu. destillat. ℥viij
md. ℥β ter in die.

D. 10 Aprilis. In facie quoque prorupit efflorescentia, in universum eundem habitum præbens, sed in vesiculas frequentes, parvas, discretas conversa.

D. 13. Pustulæ complures distinctæ, discretæ, in facie hodie cernuntur, quæ indolem syphiliticam aperte produnt, ceterum vesiculæ et squamæ illæ persistunt. Refert ægrota, se ante annum efflorescentia simili squamosa, in toto corpore tunc obvia et sponte deinde evanida, laborasse.

Sepon. kali hydriod.

Deinde mercurius sublim. corr. ad methodum Sachsii in usum vocatus est, qui eum effectum exseruit, ut ægrota die 20mo mensis Maii omnino sanata nosocomium relinqueret.

Exemplum illius serierum transitus haud spernendum syphilis congenita deinde præbet; ipsi enim, sicut idem Wallace, observavimus, matres, forma vere pustulosa affectas, partus edidisse, qui paulo postea seriem exanthematicam toto ejus ambitu offerrent.

Wallace porro hoc signum diagnosticum affert[1]), eruptionem exanthematicam secundariam vulgo citius quam secundariam pustulosam primariæ suæ cuique succedere; quam sententiam cum observationibus plerorumque convenire vix credimus; in utraque sane forma intervallum fere æque incertum est. In exemplo supra allato septimanarum septem erat; *Gibert*[2]) casum ecthymatis syphilitici affert, qui post tres circiter menses proruperit; *Baumès*[3]) ejusdem generis alium, qui novem post annos apparuerit. *Martins*[4]) contra via statistica eo pervenisse sibi videtur, ut syphilides pustulosas inter formas cutaneas primariæ affectioni sibi respondenti citissime succedere statuat. In ægrotis 17, efflorescentia syphilitica pustulosa affectis, a nobismetipsis observatis, duratio ab infectione primaria ad eruptionem secundariam illam, si in universum certum aliquid de hac re statuere licet, inter 7 hebdomades et annos 14 versata est, dum in casibus 22, qui syphilides maculosas, squamosas et papulosas præbuerunt, intervallum illud e tribus mensibus in annos 20, in casibus

---

1) Behrend's Syphil. Bd. I, p. 532.
2) Manuel prat. des mal. vénér. Paris 1837, p. 416.
3) l. c. Part. I, p. 372.
4) Revue médicale 1838. Tom. I, p. 62.

27 ulcerum superficialium et macularum albidarum faucium e tribus mensibus in annos 13 adscendit.

Quemadmodum autem eruptio pustulosa, recens maxime, in exanthematicam abire potest, ita hæc frequenter in decursu ulteriore illius indolem plane assumere potest. Velut in apicibus tuberculorum ulcerationes non raro exsistunt, initio quidem superficiales, quæ postea autem ita profundius et latius serpere possunt, ut ab ulceribus foetidis, quæ rhypia relinquit, discerni omnino non possint. Wallace non earum solum, quæ hic allatæ sunt, plerasque res ipse observavit, sed vidit etiam [1]) affectionem faucium exanthematicam, maculis albidis illis satis designatam, in formam ulcerativam ita transire, ut totum palatum molle inde destrueretur, quin etiam in uno casu mors, isthmo faucium consumpto, insequeretur.

Præterea duas illas series haud discrepare hæc res quoque affirmat, quod observationes docent, utramque formam secundariam in eodem ægroto simul apparere posse; velut *Rayer* [2]) syphilides squamosas et rhypiam syphiliticam simul exstare, omniaque symptomata cura mercuriali evanescere vidit. Nos et ipsi similia sæpius experti sumus.

Postremo allatum est, affectiones structuræ osseæ et periostei pustulosam sæpius quam exanthematicam seriem comitari; attamen Wallace ultro concedit, id quod etiam cum vulgari experientia convenit, hæc symptomata unacum syphilidibus tuberculosis sæpissime incidere, quemadmodum in universum verisimilius videtur, frequentiam affectionum systematis ossei et periostei, si lex constitui possit, incremento ceterorum symptomatum progredienti potius, quam formis eorum primitivis

---

[1]) Behrend's Syphil. Bd. I, p. 176.
[2]) Traité des maladies de la peau. Tom. II. Paris 1835. Behrend's Syph. I, p. 433.

respondere; neque jam dubium videtur, quin constitutio ægroti individualis permagni hic sit momenti.

Ex his omnibus, quæ contulimus, speramus fore ut eluceat, Wallacis celeb. in pustulosam et exanthematicam syphilidem divisionem satis firmo experientiæ veræ fundamento carere, itaque rationem kali hydriodici et mercurii adhibendorum inde ductam maxima ex parte una tolli necesse esse.

Quamquam, quod jam supra commemoravimus, Wallacei celeb. auctoritas satis quidem idonea fuerat, quæ novæ luis curandæ methodo non benignam solum exceptionem, sed comprobationem etiam vulgarem pararet, tamen disciplina ejus huic adjuncta, quæ, quibus hæc conditionibus adhibenda sit aut omittenda, dilucide edoceat, minus apta fuisse videtur. Itaque videmus, indicationes kali hydriodici in morbum syphiliticum adhibendi posthac semper in Anglia præcipue magnopere fuisse incertas ac vagas, ibique sententias etiamnunc minime sibi constare.

Ricord celeb., qui inter Gallos hanc methodum, non primus ille quidem, sed latissime adhibuit, inde jam ab initio fundamentum ei magis firmum et rationale quidem agere studuit, qua in re divisio illa symptomatum syphiliticorum universalium in secundaria et tertiaria, jam ante hanc methodum receptam ab ipso facta, aptissimum ei præbebat adminiculum, ita ut statim symptomata tertiaria sola, quæ kali hydriodico sanarentur, idonea; secundaria, quæ mercurio illis sæpissime nocente, statueret.

Paulo accuratius de sententiis ejus [1]) disputabimus:

---

[1]) Traité pratique des maladies vénériennes. Paris 1838; Bulletin général de thérapeutique, Juillet 1839, et Juillet 1840, (Encycl.

Divisio ejus symptomatum in secundaria et tertiaria magna ex parte in ordine, quem inter se sequuntur, posita est, qua in re legem certam ac constitutam sine ulla dubitatione ait servari, ita ut singulæ syphilidis periodi, quæ quasi vinculo conjunctæ sint, semper investigari et discerni possint; secundaria, inter quæ præcipua sint syphilides, affectiones membranarum mucosarum, oculorum testiculorumque, nimirum inter septimanam sextam et octavam apparere; tertiaria, quæ tubercula cellulosæ subcutaneæ, gummata, nodos, periostoses, caries, necroses, alia comprehendant, ante sextum mensem rarissime conspici. Secundum igitur et tertium morbi stadia satis distincta esse; quodsi quando acciderit, ut tertium primum proxime sequi videatur, secundum tamen re vera apparuisse quidem, observationem autem effugisse [1]; inversum ordinem nunquam locum habiturum esse. In secunda periodo virus syphiliticum ipsum, aliquantum tamen modificatum, in constitutionem universam receptum esse: diathesin syphiliticam adesse, quæ hereditate liberis propagari possit; in tertia periodo syphilidem habitum suum singularem amittere, quocum curatio singularis quoque tollatur, aliena symptomata sibi assumere neque amplius ipsam per se hereditate propagari posse, causam autem scrophulosis et rhachitidis in progenie præbere; quo in stadio kali hydriodicum remedium specificum judicandum esse.

Perfectæ huic symptomatum secundariorum et tertiariorum disjunctioni non omnino accedere possumus.

Infinita, quæ luem veneream re vera designat, varietas et inconstantia certissimam illam rationem, qua Ricord plerisque in locis sententias suas in medium proponit, quasi nulla omnino exceptionis copia fieri possit, jam per se suspectam

des sciences med. Septbr. 1839, Aout 1840.) Gazette des hopitaux. Mars 1840 et seqq.

[1]) Encycl. des sciences med. Septbr. 1839, p. 73.

reddit. Velut, quum hanc statuerit legem[1]), ex casibus secundariis centenis non perturbatis octogenos inter quartam et octavam septimanam primaria symptomata sequi, vix hæc cum plerorumque experientia conveniet; multo longius hoc intervallum extendendum est, unde fit, ut symptomata secundaria et tertiaria hac in re ad se invicem multo propius accedant.

Quod dicit, ordinem consecutionis a se propositum semper ita servari, hoc item experientiæ repugnat; tertiaria enim symptomata primaria, non interjectis secundariis, proxime insequi possunt. Quod contendit, secundaria hæc adfuisse quidem, sed non observata esse, inter ea referendum est, quæ ei imprimis arti, quæ tota in experientia posita sit, periculosissima sint; quibus semel admissis omnis facile experientia vera vim suam magna ex parte amittet, quæ tamen, tam multis plane incertis ac dubiis, principem locum tenere debeat. Jam si præterea constat, fieri posse, ut virus syphiliticum, quamvis complures annos in organismo habitet, ne unico quidem signo externo appareat, item verisimile est, illud, per tam diuturnum tempus ab organismo affectum, ejusmodi obnoxium esse posse mutationibus, ut tam sero non puram suam formam, sed vitio humorum vel solidorum individuali, quæ forsitan adfuerit, complicatam præbeat, id est: primum universalem morbum eam formam sibi induere, quæ syphilis tertiaria appellata sit.

Præterea ne discrimen quidem inter externos symptomatum secundariorum et tertiariorum habitus tam dilucidum est, quam Ricord statuere videtur; tubercula enim cutanea, sicut constat, in subcutanea paulatim transire possunt, ita ut horum limes prorsus incertus fiat; ulcerationes superficiales sensim

---

1) l. n. a. p. 73.

profundæ fieri possunt; superficialis affectio faucium et veli palatini in formam destructivam plane mutari potest, neque hæc semper ex tuberculis submucosis illis originem habeat necesse est.

Ea quoque res, quod satis etiam frequenter symptomata secundæ et tertiæ periodi in eodem ægroto simul apparent, nimis severæ horum disjunctioni repugnare videtur.

Nec major tertiariorum symptomatum vehementia vel pertinacia separationi illi semper suffragari potest, neque enim ita raro accidit, ut hæc ipsa multo facilius quam secundaria devincantur.

Ne hoc quidem sine ulla exceptione dici potest, syphilidem in tertia periodo habitum proprium suum amittere, ulcerationes enim, quæ tam sæpe occurrunt, profundæ quum faucium tum cutis, vario modo evolutæ, externo suo habitu majorem cum ulcere primario characteristico præbent similitudinem, quam quæ affectionibus horum locorum superficialibus esse videtur.

Postremo huic sententiæ non omnino possumus accedere, symptomata tertiaria ipsa per se hereditaria esse non posse, sed tamen sub forma scrophulosis, rhachitidis aliorumque morborum progeniei propagari. Omnino, tertiariis syphiliticis cum veris scrophulosis symptomatis comparatis, facile perspicuum erit, quot iis communia sint: utraque eadem systemata infestare ibique sæpe eodem modo sese exhibere, ita ut certo in casu difficillimum esse possit dijudicare, ad utram harum dyscrasiarum status morbosi oblati referendi sint, nec raro decursus aut ætiologia morbi diagnosis nostræ aut princeps aut unicum fundamentum fiat. Minus igitur causæ nobis quidem videtur remanere, cur in progenie, in symptomatis morbosis illustrandis, inter duos illos morbos tam severe distinguatur. Ubi in hac limes scrophulosis et syphilidis statuendus est? Imo vero experientia quoque severæ huic dis-

junctioni repugnat. Baumès observationem hac in re memorabilem affert: [1])

„Mulier nupta, quæ ipsa nullam dispositionem morbosam neque individualem neque familiarem præbebat, cujus maritus autem, ceterum valetudine non minus bona gaudens, adolescens syphilide affectus fuerat, quæ quum, male tractata, non fugata esset, identidem in matrimonio cutem, fauces, imprimis systema osseum petebat, ipsa in matrimonio omnino sana permansit, quinque autem liberos variis modis ægrotantes peperit: Filia, natu maxima, jam puer symptomatis pectoralibus et abdominalibus compluribus, tumoribus præterea phalangum manuum et pedum affecta fuit. Mercurio subl. corrosivo, postea aquis Sextiensibus adhibitis, tumores plane evanuerunt, habitusque ejus externus vigens et teres factus est. Secunda filia, semper valetudinaria, hydrocephalo acuto versus primam dentitionem subito mortua est, postquam per aliquot menses pustulas et ulcera syphilitica perpessa fuit. Tertia, gracilis et tenera, per complures annos symptomatis phthisis incipientis affecta, gibbositate haud levi columnæ vertebralis deinde exorta, non multo post quatuordecim annos nata phthisi pulmonali illi succubuit. Quartus jam infans tuberculis mucosis humidis in circumferentia ani et syphilidibus furfuraceis variarum regionum, identidem dolentibus articulationum tumoribus affectus, quinque annos natus tumore albo genus cum carie, amputatione instituta, mortuus est. Minimus natu item in prima ætate intumescentiis complurium ossium, tumoribus albis cum carie pertinacissimis affectus est."

Haud dubium videtur, quin pater, qui symptomatis tertiariis, si non solis (nam affectio cutis et faucium haud uberius describitur), at præcipue affectus erat, luem in omnes liberos

---

[1]) l. c. part. I, p. 178.

translulerit, eaque lues in his symptomata præbuerit, quæ, quamvis diversissima, tamen quum propter apertam ex eodem fonte originem, tum propter suam inter se rationem et consecutionem, quarti imprimis infantis ratione habita, manifeste multo potius vere syphilitica, quam scrophulosa vel rhachitica habenda sint.

Exempla denique non desunt,[1] miram in matribus ad partum præmaturum dispositionem apparuisse, cujus nulla alia causa quam vis syphilidis tertiariæ reperiri posset, quæque, hoc morbo cura efficaci expulso, sæpissime tolleretur. Nos et ipsi partum præmaturum talem observavimus. Fetus tum vulgo inter sextum et octavum mensem vitæ expertes eduntur, habitu plane cachectico et atrophico, singularique facie quasi senili sæpissime præditi. Dyscrasiam syphiliticam his fetibus mortem, partum præmaturum habitumque singularem afferre, demonstrari sane non potest, sed valde fit verisimile, partim inde quod nulla alia causa exhiberi potest, partim inde quod hic habitus externus haud parvam cum illo similitudinem offert, qui in infantibus conspicitur, in quibus syphilis secundaria postea, prius aut serius post partum, appareat. Eo tamen inclinamur, ut putemus, formas tertiarias in prima infantia quidem longe rarius quam secundarias apparere. —

Observatio, quæ sequitur, theoriam Ricordi non coarguit illa quidem, sed tamen ad eam recte æstimandam non ita male confert:

W. G., nauta Anglicus, 42 a. n., constitutione robusta, facie satis florida, a. 1839, die 2 Aprilis in sectionem medicam nosocomii communis receptus est. Tunc circiter per 12 dies laboravit febri continua intensa cum symptomatis

---

[1] velut: Simon: Medic. Zeitung v. d. V. f. H. im Preussen, 1834, Nr. 49—50.

omnibus solitis biliosis, quæ eruptione efflorescentiæ cutaneæ, ante tres dies facta, modo paulum sunt mitigata. Lingua albescens, humida, alvus naturalis, pulsus 104. Efflorescentia illa offert vesiculas magnas vel potius bullas, singulas, toto corpore sparsas, applanatas, liquore albido impletas, areolis rubris cinctis; de doloribus capitis intercurrentibus imprimis queritur, fauces sanæ conspiciuntur. Constat quidem, eum antea lue primaria affectum fuisse, sed non pro certo comperiri potest, utrum remedia mercurialia adhibuerit, necne.

D. 6 Apr. Bullæ, quæ sensim materia puriformi impletæ sunt, jam exsiccantur, crustisque densis, gryseo-flavis, inæqualibus obteguntur, quibus delapsis foveæ ulceratæ, rotundæ, abscissæ profundæque, pure oppletæ, relictæ sunt. Febrilia persistunt.

D. 13 Apr. Crustæ, quæ formatæ sunt, densiores et majores evadunt, diametrum linearum 6—10 et colorem magis fuscum adsumunt, quibus sublatis ulcera valde profunda et impura, marginibus præmorsis prædita, adsunt.

D. 18. Crustæ ubique nigræ, inæquales, ostreatæ, et ulcera relicta eadem quæ antea. Eruptio nova jam toto corpore apparet heri facta, quæ format partim tubercula parva, intense rubra, omnino superficialia, papuliformia, partim squamas discretas, albido-gryseas, haud splendentes, basibus rubris, paulum elevatis sitas. Color cutaneus et faciei et reliqui corporis ægroti sensim in gryseum, minus floridum mutatus est. Sumat

Pilulam e calomellis grij
cum opii grβ
mane et vespere.

D. 27. Pilulas 13 sumpsit, salivatio et affectio oris interni haud adeo levis. Efflorescentia cutanea nova illa fere evanuit, sed pustulosa in statum pejorem conversa est, in ulcera scilicet profunda, punctis sanguinolentis compluribus ob-

sita, marginibus elevatis prædita. In extremitate inferiore dextra circiter 20 adsunt, quorum singula diametrum linearum 16 offerunt, dolores capitis immutati.

℞. *Kali hydriod.* ʒij
Aqu. destill. ℥viij
md. ʒβ *ter in die.*

D. 14 Maii. Dum ulcera omnia et deminuta sunt et adspectum fere purum præbent, complura jam sanata, sed dolores capitis modo paulum mitigati sunt, hodie orta est iritis syphilitica intenta, contra quam deinde omnia remedia apta antiphlogistica frustra in usum vocata sunt, et visus deperditus est.

D. 31 Maii. Ulcera illa, cura contra iritidem adhibita, recrudescunt, dolores capitis adaucti et valde molesti.

Repet. Solut. kali hydriod. ter in die.

D. 6 Julii. Etiamsi kali hydriodicum adhibitum est, tamen per mensem deinceps sequentem pustulæ novæ prorumpere pergunt et in ulcera pristinis similia, interdum etiam majora, converti vel crustis illis obtegi, quare sumat

Infusum frigid. sarsaparill.
et pilul. de cicuta.

D. 26. Adspectus affectionis cutaneæ omnino non melior factus, quare iterum

Sumat kali hydriodicum

D. 12 Septbr. In patriam denique reversus est, ita sanatus, ut singulæ modo crustæ et minimæ infra genu sinistrum restarent. —

Quamquam de anteacta hujus ægroti vita non satis edocti sumus, hoc imprimis tamen hæc historia morbi docet, tertiam syphilidis periodum, omnino manifestam, secundæ æque manifestæ antecedere posse.

Dubitari non potest, quin gravissimæ Ricordi quæstiones de universalium symptomatum syphiliticorum inter se ratione

perspicuitatem et lucem eo usque incognitam toti syphilidi attulerit. Multum abest, ut disciplinam ejus improbemus, ad quam in universum multo magis quam ad sententias Wallacis propendemus; nihilo tamen minus confidere audemus, theoriam illius de syphilide universali in duas illas familias dividenda iis, quæ tupra attulimus, nonnihil saltem labefactatam esse, ita ut concedendum sit, symptomata utrique familiæ propria tam severe disjungi neque posse neque debere, curandi igitur methodum in sola hac divisione fundatam atque exstructam satis firmo fundamento carere, id quod etiam ex observationibus nostris postea afferendis satis elucebit.

Quantum scimus, duæ hæ syphilidis divisiones, a Wallace et Ricord, viris celeberrimis, inductæ, quas examini paulo accuratiori hoc loco subjecimus, sola magis rationalia, quæ quidem latius pateant, fundamenta sunt, in quibus communia de nova hac methodo adhibenda præcepta et indicationes exstruere conati sunt. Nos minime omnium operam, quum ab his tum ab aliis scriptoribus in ea re collocatam, ut multiplicia morbi syphilitici symptomata ad ordinem systematicum revocarentur, non agnoscimus; neque tamen, magnas et singulares, cum hac opera conjunctas, difficultates optime perspicientes, non illam solum varietatem, sed etiam inconstantiam morbi symptomatum summam nobis ante oculos continuo collocantes, non possumus, quin declaremus, persvasum nobis esse, nondum ullum horum canatuum omni ex parte successisse.

III.

Jam vero diligentius exquisituros, quantum pretium novæ huic syphilidis kali hydriodico curandæ methodo sit tribuendum, difficultates, quæ se omnes huic disputationi objiciunt, minime nos fallunt. Sub conditione incerta et imperfecta, cui hoc tempore subdita est tota nostra scientia pharmacodynamica, hac via finem quærere vix operæ pretium nobis erit. Quæ experimenta analytico-chemica novissimo tempore a Mitscherlich aliisque facta sunt, arti medicæ in universum nullum adhuc, qui satisficiat, fructum attulerunt. Neque plus adhuc, gravissimi recentioris physiologiæ progressus conferre potuerunt, cujus rei conatus Sobernheimii documento esse possunt. Quod ad medicamentum nostrum attinet, licet inter ea, quæ in tota materia medica efficacissima continentur, manifeste habendum sit, tantum abest, ut inter eos, qui hoc de medicamine quæsierunt, de singulis ejus in organismum viribus conveniat, ut ne in eandem classem quidem ab omnibus referatur. Refertur enim ab aliis inter remedia antiphlogistica, ab aliis inter tonica, ab aliis inter incitantia, ab aliis inter alterantia, cet. Videmus igitur, ut exemplum sumamus, hoc remedium hinc in rheumatismum acutum articularem et hydrocephalum acutum magnopere commendari, illinc in morbos, in quibus resolutio sanguinis gravis prævaleat. Quodsi verus medicamenti nostri modus agendi etiamnunc prorsus in suspenso versatur, hoc non minus morbi naturæ, de quo hoc

loco mentio est, accidit. Alii enim, velut Calderini et Hacker [1]), in syphilide diathesin sanguinis inflammatoriam statuunt eumque emissum crusta phlogistica fere semper tectum inveniunt, alii contra diathesin huic prorsus contrariam, dum alii, qui quidem sine dubio plerique sunt, nullam conspicuam nec manifestam ejus mutationem reperire sibi videntur. Non solum a proposito aberremus, sed multo etiam magis supra vires contendamus, si omnes has controversias ita componere conemur, ut deinde rationalem kali hydriodici in dyscrasiam syphiliticam effectus explicationem proferamus; quin etiam in hoc artis medicæ statu ne fieri quidem posse persuasum nobis est, ut ad ullum hac via finem optatum perveniatur. In hujusmodi disquisitione sine dubio quam maxime congruit, omnia facta, quæ nobis præsto sint, in unum conferre et, quantum rerum observationumque natura permittat, Statisticam in auxilium vocare. Hac ratione aliquid saltem veritatis efficietur. Ex legibus Statisticæ in medicina adhibenda sponte sua sequitur, ut observationnm alienarum nullam certam rationem habeamus, partim quia conditiones ne principes quidem computationis explent, partim quia auctores sæpenumero tantummodo felices casus retulerunt, sæpeque exiguum aut nullum tempus ad observandum, utrum recidivi apparuerint necne, relictum fuit. Modo interdum, quoad liceat, ad eas quodammodo respiciemur.

Observationum series, qua in disquisitione nostra nitemur, 250 casus complectitur in sectione medica nosocomii communis a mense Julio 1838 ad mensem Augustum 1841 tractatos. Quæ observationes, quamquam longe major earum pars nullo certo consilio facta est ideoque fundamento disputationis accuratioris in omnes partes institutæ haud ita bene

---

[1]) Summarium, Neue Folge, Bd. 2, p. 471.

esse potest, tamen commoda complura eaqne haud exigua præbere videntur. Omnes ægroti quidem eandem victus rationem, diætam antifebrilem, quæ vocatur, servarunt; omnes remedium, de quo agitur, eadem forma eademque dosi sumpserunt, unicuique enim, drachmis duabus kali hydriodici puri in aquæ destillatæ unciis octo solutis, inde semiuncia ter in die porrecta est, ita ut quotidie drachma 0,375 sit ingesta; omnes post sanationem observatam curam per aliquod tempus semper continuarunt; fere omnes ad eundem hominum ordinem, inferiorem civilem, pertinent; plerique, si in eundem morbum reciderunt, eundem quoque curandi locum iterum petunt vel petere etiam coguntur, ita ut casus recidivi observationem rarius effugiant, quam quod vulgo fit. Præterea de multorum, imprimis feminarum publicarum, valetudine insequente certiores fieri potuimus, quæ postea, etiamsi in nosocomium non receptæ, tamen communionem cum eo quandam servarunt.

Ex ægrotis 250 illis nuper allatis 68 fuerunt viri, 181 feminæ, unus modo infans.

Si ætatem ægrotorum respexerimus, ratio hæcce intercedet.

Ætas.	Ægroti occurrerunt.	Igitur ex 100 ægrotarunt.
Infans 0,75 an. n.	1	0,4
inter annos 15—19	11	4,4
— — 20—24	73	29,2
— — 25—29	63	25,2
— — 30—34	42	16,8
— — 35—39	21	8,4
— — 40—44	22	8,8
— — 45—49	7	2,8
— — 50—54	10	4,0
Summa	250	

Si examinaverimus, ad quodnam vitæ genus pertineant ægroti, hanc rationem inveniemus:

Vitæ genus.	Ægrotarunt.	Itaque ex 100 ægrotarunt.
Ancillæ................	69	27,6
scorta	55	22,0
feminæ nuptæ	32	12,8
— innuptæ	17	6,8
viduæ	9	3,6
opifices	32	12,8
operarii	21	8,4
nautæ	6	2,4
varia alia negotia gerentes.	9	3,6
Summa....	250	

Hæc attulimus, non ut inde eruatur, quid faciat vel sexus, vel ætas, vel vitæ genus ad syphilidem methodo hic laudata sanandam; ad hoc enim efficiendum omnes observationes in unum collectas non tantam inter se similitudinem offerre credidimus, ut quidquam certum via statistica ex iis elici possit, et si singulas modo variorum symptomatum series spectamus, observationes non sufficere putavimus. Hæc ideo imprimis jam commemoravimus, et postea repetemus, partim ut intelligatur, de quibusnam hominibus hic fiat mentio, partim ut aliquid saltem conferamus ad illustrandum, quantum errent, qui credant, graviora morbi syphilitici symptomata, universalia quidem, longe frequentiora inter scorta publica quam inter feminas alius conditionis occurrere. Ita autem res minime se habet. In sectionem medicam enim hujus nosocomii omnes publicæ recipiuntur feminæ, quæ syphilide affectæ sunt, earumque numerus per sex hos annos numerum ceterarum, quæ sunt melioris conditionis, longe superat, dum nihilominus symptomata gravissima, ut postea patebit, ancillas aliasque

feminas frequentissime infestant, et sine dubio statui potest, plerasque etiam ultimarum, quæ domum satis idoneam non habitent, idem nosocomium petere. Viros autem, qui in sectionem medicam non recepti sunt, nisi forte cubicula in sectione chirurgica non suffecerunt, quorum itaque numerus minor apparet, hoc loco omittimus.

Ex omnibus his, qui nobis exstant, ægrotis, quantum observari potuit, 145 perfecte sanati sunt, 49 imperfecte sanati, ita ut singulum symptoma morbosum levius vel levissimum nosocomium relinquentibus restaret; denique remedium in ægrotos 56 nullum effectum exseruit.

Quamdiu duraverit curatio perfecta illa casuum omnium, investigantes, invenimus,

diuturnitatem	omnium	brevissimam	fuisse	dies 7.
—	—	longissimam	„	d. 186.
—	—	casuum	„	d. 5557.
—	—	mediam	„	d. 38,324.

Ex iis, quorum sanatio completa habita est, casus recidivi ocurrerunt 35, quoad de hac re comperire potuimus, ægroti certe 42 in morbum pristinum hucusque non reciderunt; ceterorum sors nobis ignota est.

Quantum temporis spatium inter casus sanatos et recidivos postea insequentes sit interjectum colligentibus nobis apparuit, omnes casus 33, quot recidivos observare potuimus, amplecti spatium annorum 29,875.

intervallum	brevissimum	fuisse	ann.	0,085.
—	longissimum	„	„	4,75.
—	medium	„	„	0,905.

Posthac consideratis casibus omnino sanatis 42 illis, quorum nulli recidivi, quantum observare licuit, hucusque insecuti sunt, et deinde spatio inter sanationem et hoc tempus interjecto

computato, reperimus, omnes casus amplecti spatium intermedium 155,25 annorum,

intervallum brevissimum fuisse 0,5 ann.
— longissimum „ 6,5 „
— medium „ 3,696 „

E casibus denique 49 illis, quorum sanatio modo incompleta ope kali hydriodici effecta est, morbum omnino rediisse in ægrotis 12 observare nobis contigit; in sex vero statum morbosum hucusque fere immutatum permansisse.

Casus 12 illi recidivi omnes amplectuntur spatium intermedium annorum 9,435;

intervallum brevissimum fuit 0,25 ann.
— longissimum „ 3,0 „
— medium omnium 0,786 „

Jam supra commemoravimus, quam caute ex iis, quæ modo in universum allata sint, sit concludendum; nihilo minus speramus, fore ut jam tantum certe elici possit:

1) *Kali hydriodicum inter remedia contra syphilidem efficacissima esse adnumerandum,*
2) *Casus post curationem recidivos haud ita raros occurrere.*
3) *Morbum recidivum in universum intra annum integrum apparere.*

Quum vero in his acquiescere non possimus, singulas cujusque symptomatis syphilitici series, casibus simillimis quibusque ita inter se comparatis, paulo uberius pertractabimus.

Affectiones primariæ.

Ea modo ulcera, quæ, varium adspectum offerentia, partes genitales earumque vicinas sæpissime occupant proximamque e viro contagio huc traducto originem trahunt, hic dicimus.

Rarius quidem remedium nostrum contra hanc affectionem ab aliis quoque medicis tentatum est. *Ordelin*, quantum ex relatione ejus patet [1], cum fructu remedium bis adhibuit, sicut *Hacker* [2] duos casus sanatos affert. *Kallmann* [3] similem effectum in duobus item casibus observavit. *Mierendorph* autem [4] eventum minus faustum vidit. Huic consentiunt *Gusmann* et *Hauck*, qui remedium in syphilidem primariam omnino inutile esse censent. *Bazin* [5] singulis observationibus nisus, effectum ejus dubium habet.

Casibus nostris spectatis, remedium sexies modo semperque sine effectu tentatum inveniemus. Hoc tamen præter exspectationem non evenit; ulcera primaria enim quum affectiones sint prorsus locales, verisimile quoque fit, ea remediis solis localibus optime et sæpissime sanari. Si qua cura interna ad ea sananda requiritur, tum non amplius mala localia solummodo vel simplicia habenda sunt. In formam ulcerum induratam, quæ potius symptoma progressivum quam primarium vocanda est, cuique mercurius imprimis aptus repertus est, kali hydriodicum adhibitum nunquam observavimus. Probabile quidem nobis videtur, formam phagedænicam huic remedio esse opportunissimam, in quam etiam Carmichael admodum id commendat.

Bubones.

Sicut jam antea commemoratum est, *Bichler*, *Richond*, *Buisson*, *Lallemand* et *Lyon* primi iodium in hanc affectionem

---

1) Preuss. medic. Zeitung 1839, No. 51.
2) Summarium 1838.
3) l. n. c.
4) l. c. 1837, No. 48.
5) Gazette des hopitaux, Juin 17, 1843.

et adhibuerunt et laudarunt. Dum plerique auctores recentiores, velut *Ebers*, *Johnson*, *Ordelin*, *Hacker*, nullum effectum ex usu kali hydriodici interno externoque profectum observant, contra *Kallmanno* interdum, semper autem *Caswallo*, etiamsi bubones in suppurationem jam abiissent, hoc remedium satisfecit.

Ægrotorum, de quibus hic agitur, 22 bubonibus inguinalibus fuerunt affecti, viri scilicet 20, feminæ 2.

Quorum	inter	ann.	20—24,	fuerunt	. . . . 9.
—	—	„	25—29,	—	. . . . 5.
—	—	„	30—34,	—	. . . . 4.
—	—	„	35—39,	—	. . . . 3.
—	—	„	45—49,	—	. . . . 1.
				Summa	22.

Ratione vitæ generis habita:

Ancillæ	fuerunt	. . . . 2.
scorta	—	. . . . 0.
opifices	—	. . . . 8.
operarii	—	. . . . 7.
nautæ	—	. . . . 4.
pharmacopola	—	. . . . 1.
	Summa	22.

Bubones in 18 casibus jam erant aperti, in 4 nondum aperti, sed omnium eorum circumferentiæ erant induratæ, marginesque vario gradu sinuosi.

Remedio laudato adhibito, sanatio perfecta insecuta est in ægrotis 7, imperfecta in ægrotis 2, in casibus vero 13 prorsus nullus ejus effectus observatus est.

Diuturnitas curationis

	Omnium casuum	Brevis-sima.	Longis-sima.	Omnium media.
Perfecte sanatorum	356 dier.	21 d.	96 d.	50,857 d.
Imperfecte sanatorum ...	63 —	27 -	36 -	31,5 -
sine ullo effectu tractat..	455 —	8 -	89 -	35,0 -
Bubonum non apert.	116 —	- 16	37 -	29 -
Bubonum apert.	758 —	8 -	96 -	42,111 -
Summa....	874 d.			39,727 d.

Si spectatur, quamdiu ante remedium adhibitum duraverint bubones, invenimus,

diuturnitatem brevissimam fuisse 8 dierum.
— longissimam — 270 —
— mediam omnium 49,545.

Sed inter durationem casuum jam perfectam eorumque curationis omnino nullam certam rationem intercedere satis perspicuum fuit.

Contra II horum casuum mercurius proxime frustra fuit tentatus, quod autem non aliter ad effectum nostri remedii valuit.

In casibus 8, kali hydriodico infauste tractatis, mercurium mox postea in usum vocari necesse fuit, reliqui remediis localibus sunt sanati.

Casus 17 symptomatis aliis syphiliticis, sæpissime primariis, fuerunt complicati, neque vero hæc complicatio ullam in sanationem vim exseruit.

Quæ quum ita sint, concludere ita nobis licet:

Kali hydriodicum in bubones fere nullam vim exserere.

Septem quidem casus omnino sanatos attulimus, sed observandum simul est, diuturnitatem sanationis eorum mediam

fuisse 50,857 dierum, quod temporis spatium longius fuit, quam ut inde certum quid argumentari liceat. Nam fortasse fieri quoque potuit, ut eadem symptomata, localibus modo remediis et regimine apto adhibitis, id quod sæpius accidit, per idem tempus evanescerent. Quum vero bubones, syphilidis primariæ symptoma progressivum, proxime ad hanc plerumque accedant, hic quoque effectus medicaminis intelligi facile potest.

Tubercula mucosa (condylomata applanata.)

Contra hoc symptoma remedium nostrum a medicis rarius adhibitum est. Quorum *Ordelin* effectum ejus optatum atque celerem observavit, id quod etiam *Thortsen* semel contigit. *Bazin* [1]) duos casus brevi sanatos attulit. *Hauckio* satisfecit modo remedium in morbo inveterato et cachexiæ syphiliticæ mercurialique conjuncto. *Graves* denique faustos quoque effectus sæpe expertus est.

Casuum, qui nobis exstant, 20 ad tubercula mucosa pertinent, virorum quidem 8, feminarum 12.

Quorum inter	annos	15—19	fuerunt	. . . .	3
— —	—	20—24	—	. . . .	8
— —	—	25—29	—	. . . .	4
— —	—	30—34	—	. . . .	4
— —	—	45—50	—	. . . .	1
				Summa	20.

[1]) Gazette des hopitaux, Juin 17, 1843.

Genere vitæ ægrotorum spectato,

Ancillæ fuerunt	. . . .	5
scorta —	. . . .	6
nupta —	. . . .	1
opifices —	. . . .	5
operarii —	. . . .	2
mercator —	. . . .	1
	Summa	20.

Quorum deinde 7 modo sanatio completa parata est, 4 vero incompleta, in 9 denique remedium nullum effectum præbuit.

Tubercula mucoca in 8 casibus ad anum, in 10 in genitalibus, in 2 in utroque hoc loco sita fuerunt.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	brevissima.	longissima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	194 d.	19 d.	46 d.	27,714 d.
imperfecte sanatorum....	145 -	21 -	40 -	36,25 -
sine effectu tractat......	306 -	13 -	72 -	34,0 -
Summa....	645 d.			32,25 d.

Diuturnitatem morbi præsentis autem ante curam institutam si respexerimus, casuum 13, in quibus comperiri potuit,

brevissima fuit . . . . 3 dierum
longissima . . . . 120 d.
omnium media . . . . 41,846 d.

Neque vero hic certa ratiô inter durationem morbi antecedentem ejusque curationis indagari potuit.

In 3 modo casibus mercurius antea frustra adhibitus fuit; ægrotis 8, kali hydriodico seposito, ad morbum sanandum

porrectus est, ceteri casus remediis localibus applicatis evanuerunt.

Dum 4 ægroti nullum aliud symptoma syphiliticum offerunt, 16 certe aut affectione faucium superficiali aut cutis maculosa vel squamosa simul sunt correpti, id quod etiam ad sententiam cell. Wallacei confirmandam nonnihil confert, necessitudinem inter has affectiones intimam intercedere.

Effectum medicaminis nostri in tubercula mucosa dijudicantibus præterea considerandum est, quænam inter ea et syphilidem communis sit ratio.

Haud dubie statui debet, tubercula mucosa e viro specifico quodam originem semper trahere; hoc autem utrum vere syphiliticum solummodo sit habendum, an potius interdum gonorrhoicum quoque censendum, nobis non satis liquet; constat enim, tubercula mucosa cum affectione orificii uteri gonorrhoica et elytritide mucosa intime cohærere; observationibus deinde confirmatum habemus, tubercula, quantum conspicere licuit, sola illa coitu celebrato gonorrhoeam veram in alio homine procreare; sæpius autem cum ulceribus primariis syphiliticis conjuncta reperiuntur aut ea jam sanata proxime atque immediate insequuntur, ita ut fere medium inter symptomata primaria et secundaria teneant locum, hisce vero fortasse propius accedant. Quum itaque necessitudo quædam inter gonorrhoeam, in quam remedium nostrum nihil valet, et tubercula mucosa haud omnino negari possit, atque a primariis symptomatibus syphiliticis longius non distent, præter opinionem vix evenit, ut 7 modo casus complete sanati relicti sint. Si deinde reputatur, tubercula illa, regimine quieto mundoque servato, et fomento quodam vel imprimis remedio caustico simul applicato, jam intra dies 27 facile sæpius sanari, ceteris omnibus quoque recte perpensis, sine dubio concludere par est:

Kali hydriodicum etiam in tubercula mucosa fere nullum effectum exhibere.

Condylomata cristata sive petiolata.

Hæc affectio certe, sive primaria sive consecutiva, semper localis habenda est ideoque remediis modo localibus sananda. Solummodo 4 casus nobis occurrerunt kali hydriodico tractati, in omnibus vero remedium ne minimum quidem fructum attulit.

Maculæ, squamæ et papulæ cutis.

Has affectiones, intime inter se conjunctas, in unum colligere aptum nobis visum est.

Neumann efflorescentias diminui quidem, sed non evanescere vidit, *Kallmann* autem remedium in uno casu cum successu adhibuit. *Hauck* fructus satis optatos inde percepit, sed *Gusmann* efficaciam ejus modo animadvertit, si mercurius antea frustra tentatus esset, morbusve deinde recidivus apparuisset. Medici Gallici, *Ricord* auctorem sequentes, in has affectiones kali hydriodicum fere omnino non adhibuerunt, Anglici vero usum ejus latius extenderunt, sic *Mayo* [1]) laudem haud mediocrem in hanc syphilidis formam ei tribuit, et *Carmichael*, etsi mercurium ei præferendum esse censet, satis tamen efficax id invenit. Quum autem uterque remedium decocto sarsaparillæ solutum fere semper adhibuerit, ex observationibus eorum tuto concludere haud licet.

Casus ad hanc seriem pertinentes nobis præsto sunt 49, viri 12, feminæ 37.

---

[1]) Behrends Syphilidologie VI, p. 239. et seqq.

Quorum inter annos	15—19	fuerunt . . .	6.
	20—24	— . . .	14.
	25—29	— . . .	9.
	30—34	— . . .	8.
	35—39	— . . .	2.
	40—44	— . . .	6.
	45—49	— . . .	1.
	50—54	— . . .	3.
		Summa . . .	49.

Si genus vitæ spectatur,

Ancillæ fuerunt . . .	18.
scorta	11.
nuptæ	5.
innupta	1.
viduæ	2.
opifices	4.
operarii	4.
nauta	1.
aliis muneribus fungentes	3.
Summa . . .	49.

Quorum sanatio completa contigit ægrotis 26, incompleta solummodo 9, nullus vero medicaminis effectus in casibus 14 apparuit.

Diuturnitas curationis

	Omnium casuum.	brevis-sima.	longis-sima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	1501 d.	21 d.	186 d.	57,731 d.
imperfecte sanatorum....	431 -	17.	91.	48,0.
sine effectu tractat......	467.	4.	77.	33,347.
Summa	2399 d.			48,959 d.

Durationem morbi præsentis ante kali hydriodicum adhibitum respicientibus nobis apparuit, casibus 39 eorum, quorum duratio cognita est, computatis,

diuturnitatem brevissimam fuisse 2 dierum,
— longissimam — 5 annorum,
— omnium mediam — 139,517 dierum.

Ratio posthac inter durationem cujusque 39 horum casuum jam peractam et sanationem cujusque eorum remedio nostro exinde sequentem, perspecta hæc exstitit:

	Diuturnitatem mediam illam 139,517 d. non æquarunt.	Diuturnitatem mediam illam 139,517 d. superarunt.
Casuum perfecte sanatorum	13	9
— imperfecte sanat. .	4	1
sine effectu tractatorum . . .	12	0
Summa	29	10

Itaque intelligitur, dum casuum perfecte sanatorum 9 ultra terminum medium illum durarunt, idem modo uni imperfecte sanatorum et ne uni quidem infauste tractatorum accidisse, unde certe tantum concludere licet:

durationem hujus seriei protractam effectui remedii nostri optato favere.

Si exploratum erit, quamnam vim habeat mercurius antea adhibitus in effectum kali hydriodici postea exserendum, hæcce apparebunt:

Modo in casibus 22 satis cognitum habere potuimus, utrum mercurius contra affectiones syphiliticas antea præteritas in usum fuerit vocatus necne. Itaque

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
Jam perfecte sanati.......	11	2
— imperfecte sanati.....	1	2
sine fructu tractati	3	3
Summa	15	7

Memoratu præterea est dignum, unum ex iis, qui mercurium antea sumpserint jamque kali hydriodico frustra tractati sunt, hoc remedium per 7 modo dies sumpsisse.

Ratione autem affectionis præsentis solummodo habita, ægroti nobis adsunt 44, quorum

	Mercurium jam frustra sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
perfecte sanati	7	17
imperfecte sanati.........	3	6
sine fructu tractati	7	4
Summa	17	27

Videmus itaque, ægrotos 11 ex 13, quos perfecte sanatos observavimus, mercurio ob affectiones syphiliticas prægressas tractatos esse, dum ratio minime eadem vel potius contraria, morbo jam præsente spectato, ut tabula ultima ostendit, intercedit. Neque vero nos fefellit, cautissime inde concludere licere, nihilotamen speramus, fore ut quodammodo sit probalile:

mercurium in pristinas affectiones syphiliticas adhibitum ad faustum kali hydriodici in hancce seriem effectum adjuvare posse.

E casibus illis, quorum sanatio completa dijudicata est, 11 modo postea usque ad hoc tempus observare nobis contigit,

quorum deinde 3 recidivi apparuerunt, 8 in morbum eundem [1]) nondum reciderunt. Posterioribus his intervallum inter sanationem et tempus præsens medium fuit 3,75 ann. Sed nihil certi inde concludere licet.

Ægrotorum omnium 17 sola hac affectione cutanea fuerunt correpti, sed 32, aliis simul symptomatis syphiliticis adspectu variis fuerunt obnoxii; casuum perfecte sanatorum 19 complicati apparuerunt, sed nulla certa ratio inter complicationem et sanationem intercedit.

Jam antea explicatum est, circiter dimidiam solummodo casuum partem kali hydriodico esse sanatam, deinde animadvertendum est, diuturnitatem sanationis omnium casuum mediam fuisse dierum 57,731, satis longum quidem temporis spatium; effectum remedii in hanc seriem diligentius persequentibus præterea facile apparebit, eum valde lentum, dum vis contraria ei rite adhibito vulgo propria est, et quasi infirmum procedere. Mercurium autem si respicimus, et maturius suum effectum exserit et fere dimidio temporis spatio interjecto morbum devincit. Concludere itaque licet:

kali hydriodicum in hanc seriem quidem non satis efficax esse remedium,

et, si comparatio cum mercurio fieri potuerit, hunc magis efficacem et certius et citius suam vim exhibiturum esse. Quousque tamen kali hydriodicum, remedium mercurio sæpe jucundius et periculi expers, in hanc affectionem nihilominus interdum sit adhibendum, aliorum judicio subjicimus.

Affectiones superficiales faucium et oris interni.

In hanc seriem ulcera superficialia, excoriationes, maculas albidas illas ruboremque erythematosum retulimus.

---

[1]) Ubicunque mentio fit de morbo recidivo, syphilidem in universum, non certam ejus formam dicimus.

Plerique auctores inter superficialem hanc affectionem et profundam, in usu atque effectu remedii nostri commemorando, non satis distinxerunt, ex iis autem, qui affectionis superficialis singularem mentionem fecerunt, omnino nullum kali hydriodici effectum observarunt *Ricord*, *Johnson*, *Neumann* et *Hauck*, dum *Thortsen* et imprimis *Wallace* usum ejus probarunt, quamquam hic mercurium potiorem habet

Casus hujus seriei 47 collectos habemus, quorum 17 in viris acciderunt, 30 in feminis. Quorum hæc ætatis ratio apparuit:

inter annos 15—19	fuerunt 4.
20—24	. . . . 19.
25—29	. . . . 12.
30—34	. . . . 7.
35—39	. . . . 1.
40—44	. . . . 2.
45—49	. . . . 1.
50—54	. . . . 1.
Summa	. . . . 47.

Vitæ genere spectato:

Ancillæ	fuerunt 13.
scorta	. . . . . 11.
nuptæ	. . . . . 4.
innupta	. . . . 1.
vidua	. . . . . 1.
opifices	. . . . 11.
operarii	. . . . 5.
nauta	. . . . . 1.
Summa	. . . . 47.

Sanatio completa, kali hydriodico adhibito, ægrotis 24 successit, incompleta modo 8, in 15 autem nihil remedium effecit.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	brevissima.	longissima.	omnium media.
perfecte sanatorum	974 d.	9 d.	180 d.	40,583 d.
imperfecte sanatorum	303	21	60	37,875 -
sine effectu tractat.	417	4	62	27,8 d.
Summa	1694 d.			36,043 d.

Si exquiritur, quamdiu ante duraverint casus præsentes, quam kali hydriodicum ad eos sanandos adhibitum est, casibus 34 computatis, apparebit,

durationem brevissimam fuisse 7 dierum,

— longissimam fuisse 5 mensium,

— omnium mediam fuisse 62,384 dierum.

Ratio hæc jam inter durationem cujusque horum casuum et eventum curationis, kali hydriodico exinde tentatæ, inventa est:

	Diuturnitatem mediam illam 62,384 d. non æquarunt.	Diuturnitatem mediam illam 62,384 d. superarunt.
perfecte sanati	11	5
imperfecte sanati	4	3
sine effectu tractati	6	5
Summa	21	13

Unde vero nihil certi concludi potest, fortasse imprimis quia duratio casuum in universum haud ita fuit protracta.

Quid fecerit mercurius contra syphilidem antea sumptus ad eventum curationis, ope kali hydriodici postea in hanc seriem institutæ, explorantibus nobis hæc ratio evenit:

E casibus 34, de quibus certum comperiri potuit, utrum mercurius in syphilidem antecedentem adhibitus sit, necne, hæc eruimus:

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non antea sumpserunt.
jam perfecte sanati	13	5
— imperfecte sanati	2	3
sine effectu tractati.......	4	7
Summa	19	15

Unde liquet, haud paucos perfecte sanatorum antea mercurium sumpsisse. Tota hac ratione jam satis perspecta, quodammodo probabile nobis videtur, etiamsi omnino incertum hoc statuimus:

mercurium in syphilidem antecedentem adhibitum ad hanc seriem kali hydriodico postea sanandam aliquid saltem valere posse.

In præsentem morbum, antequam kali hydriocum porrectum est,

	Mercurium sumpserunt	Mercurium non sumpserunt
perfecte sanati	3	21
imperfecte sanati	2	6
sine effeetu tractati....	4	10
Summa	9	37

Unde vero certam conclusionem elicere non convenit.

Ex ægrotis 24, quorum sanatio incompleta habita est, vitam 16 postea observare nobis contigit. Itaque ex iis morbos recidivos passi sunt 7, spatio temporis interjecto non satis cognito, 9 vero hucusque sani manserunt, quibus intervallum a sanatione medium fuit ann. 4,194. Quæ ratio ad hanc sententiam quodammodo probabilem, sed valde incertam ducit:

casus post hanc affectionem kali hydriodico sanatam recidivos haud ita raros occurrere.

Ægroti 27 aliis et variis symptomatis syphiliticis simul correpti fuerunt, in 20 nullum aliud indagari potuit, unde vero omnino nulla certa ratio ad eventum curæ nostræ diversum illustrandum inveniri potuit.

Itaque si reputatur, modo dimidiam casuum partem remedio nostro perfecte esse sanatam, etiamsi hæc forma ad speciem syphilidis mitiorem vulgo pertineat; si præterea observatur, 7 ægrotos inter sanatos rubore modo faucium fuisse affectos, cujus symptomatis indoles sæpius omnino incerta fit; casus denique recidivos haud ita raros fuisse; fortasse probabile fit:

kali hydriodicum effectum in hanc seriem haud adeo insignem exserere,

nobisque satis persvasum est, hoc remedium, si cum mercurio comparetur, locum eo longe inferiorem tenere.

Pustulæ cutis.

Ut antea satis explicatum est, cel. *Wallace*, hanc seriem a ceteris efflorescentiis cutaneis omnino sejungens, remedium nostrum omnium efficacissimum in eam invenit, medicique Anglici pleriqne, imprimis *Carmichael* et *Mayo*, illum auctorem sequentes, experientia simul ducti, eandem medicamini in hanc affectionem tribuunt laudem. *Hauck* cum eodem fructu in pustulas atque in squamas maculasque id adhibuit.

Nobis usui sunt 27 ægroti, efflorescentia pustulosa affecti, viri 4, feminæ 22, denique infans unus, tres anni quadrantes natus.

Quorum inter ann.	15—19 fuit . . .	1.
	20—24 fuerunt .	5.
	25—29	8.
	30—34	4.
	35—39	4.
	40—44	3.
	45—49	1.
	Summa . .	26.

Genere vitæ spectato,

Ancillæ fuerunt. .	8.
scorta	4.
nuptæ.	7.
innuptæ	2.
vidua	1.
opifices	2.
operarii.	2.
Summa	26.

Quorum sanatio completa effecta est ægrotis 19, incompleta vero 4, præterea 4 medicamen sine fructu sumpserunt.

In omnibus casibus morbus formam ecthymatis obtulit.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	brevissima.	longissima.	omnium media.
perfecte sanatorum	950 d.	13 d.	123 d.	50 d.
imperfecte sanatorum..	178 -	22 -	58 -	44,5.
sine effectu tractat	109 -	10 -	46 -	27,25.
Summa	1237 -	—	—	45,815 d.

Durationem autem morbi præsentis ante curam nostram

institutam respicientibus nobis apparuit, casibus modo 17 eorum reputatis,

diuturnitatem brevissimam fuisse 8 dierum.

— longissimam — 5 annorum.

— omnium mediam 242,739 dierum.

Ratio jam inter durationem cujusque horum 17 casuum præteritam et sanationem ope kali hydriodici exinde sequentem investigata hæc apparuit:

	Diuturnitatem mediam illam 242,739 d. non æquarunt.	Diut. med. illam d. 243,739 superarunt.
Casuum perfecte sanator...	11	3
— imperfecte sanat...	1	0
— sine effectu tractat..	2	0
Summa	14	3

Unde nihil certi concludere ausi sumus, sed hoc tamen animadvertendum est, omnes casus, quorum diuturnitas medium illum terminum superavit, perfecte esse sanatos.

Quid faciat mercurius antea sumptus ad effectum kali hydriodici postea in ecthyma syphiliticum exserendum explorantibus nobis hæcce apparuerunt:

Modo in casibus 17 liquet, utrum mercurius in affectiones syphiliticas antea præteritas fuerit adhibitus necne. Itaque

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
jam perfecti sanati	10	5
imperfecti sanati	1	0
sine effectu tractati.......	0	1
Summa	11	6

Unde patet, ægrotos 10 e 15 perfecte sanatis mercurium ob affectiones syphiliticas prægressas sumpsisse; hæc ratio nihil certi quidem affirmat, sed quodammodo tamen fit probabile:

mercurium contra luem veneream antecedentem porrectum optato kali hydriodici effectui in ecthyma syphiliticum exhibendo certe non obstare.

In affectiones vero jam præsentes mercurius in casibus 21 non antea porrectus est, itaque modo 6 ægroti eum frustra tentarunt, quorum 4 deinde ope kali hydriodici complete sanati sunt, sed duo etiam hoc sine fructu adhibuerunt.

Omnes 4 illi, in quibus kali hydriodicum nihil effecit, mox postea mercurio adhibito sanati sunt.

Ex omnibus 27 ægrotis solummodo fuerunt 12, quorum sortem ad hoc tempus usque observare nobis contigit. Ex quibus deinde modo 2, iique antea modo imperfecte sanati, in eundem morbum, ternis anni quadrantibus interjectis, reciderunt, ceteri omnes casus 10, quorum nulli recidivi hucusque insecuti sunt, antea perfecte sanati sunt. Quorum casuum 10, spatio deinde inter sanationem et tempus præsens interjecto computato, intervallum medium apparuit 2,675 ann.

Si jam recolimus, maximam ægrotorum partem, de quibus mentio hic facta est, si symptomatis recidivis corripiantur, nosocomium iterum petere, tum fortasse quodammodo probabile fit:

morbos post ecthyma syphiliticum, kali hydriodico sanatum, recidivos haud dubie esse rariores.

In 7 solummodo ægrotis ecthyma solum observatum est, reliqui 20 variis aliis symptomatis syphiliticis, maxime tamen squamis cutis et rhypia, simul fuerunt correpti, neque hic ulla certa ratio inter complicationem et sanationem elici potuit,

solummodo commemoratu dignum est, omnes sex casus, rhypia complicatos, ad perfecte sanatos pertinere.

Si denique colligimus, casus 19 ex 27 perfecte esse sanatos, sanationem hanc per temporis spatium haud ita protractum esse effectam, casus præterea recidivos haud dubie rarius observari, nobis satis probabile videtur:

kali hydriodicum ad ecthyma syphiliticum sanandum multum valere atque ut remedium aptum in hanc formam esse adhibendum.

Tubercula cutis.

Wallace, qui hanc affectionem maxime in seriem exanthematicam retulit, tamen kali hydriodicum ad eam sanandam mercurio præferendum esse censet; cui *Carmichael* et *Mayo* omnino consentiunt. Jam antea *Williams* remedium nostrum in efflorescentiam tuberculosam commendavit. *Hauck* in tubercula modo, quæ in ulcerationes abiissent, effectus optatos inde animadvertit.

Casus 21 ad hanc seriem pertinentes collectos habemus, quorum 8 sunt virorum, 13 feminarum.

Ex quibus inter annos	15—19 fuit . . .	1.
	20—24 fuerunt .	5.
	25—29	2.
	30—34	6.
	35—39	2.
	40—44	2.
	45—49	1.
	50—54	2.
	Summa	21.

Genus eorum vitæ si spectatur:

Ancillæ fuerunt . .	3.
scorta	3.
nuptæ	2.
innupta	1.
viduæ	4.
opifices	4.
operarii	3.
nauta	1.
Summa	21.

Remedio nostro adhibito sanatio completa effecta est ægrotis 15, incompleta ægrotis 3, in 3 modo sine ullo successu tentatum est.

Diuturnitas curationis

	Omnium casuum.	brevissima.	longissima.	omnium media.
perfecte sanatorum	669 d.	16 d.	121 d.	44,6 d.
imperfecte sanatorum ..	185	39	91	61,667
sine effectu tractatorum	141	20	65	47,0
Summa	995 d.	—	—	47,381 d.

Quamdiu duraverint casus præsentes ante kali hydriodicum adhibitum, si exploratur, casibus 18, quorum duratio comperiri potuit,

brevissima fuit . . .	3 dierum
longissima	5 ann.
omnium media . . .	210,446 dierum.

Si duratio cujusque horum casuum ante curam nostram jam præterita ejusque sanatio inde effecta inter se erunt comparatæ, ratio hæcce apparebit:

	Diuturnitatem med. illam 210,446 d. non æquarunt.	Diut. med. ill. 210,446 d. superarunt.
casus perfecte sanati	10	4
— imperfecte sanati	2	0
— sine fructu tractati ..	2	0
Summa	14	4

Quum 4 modo casus adsint, qui ultra terminum medium illum durarunt, nihil certi concluderc audemus, etiamsi omnes 4 illi ad perfecte sanatos pertinent. Notandum præterea est, casus duos illos sine effectu tractatos modo 45 dies et 18 dies durasse; casus vero duos imperfecte sanatos per 3 dies et 5 menses adfuisse. Fortasse fieri potuisset, si major casuum numerus nobis præsto fuisset, ut conclusio hæcce et de tuberculis et de pustulis elici potuisset:

quo brevior duratio morbi, eo difficilior remedio nostro curatio.

Quænam vis mercurio contra morbos syphiliticos antecedentes sumpto insit ad effectum kali hydriodici postea in hanc seriem tentandum, si exquisitum erit, hæc efficientur, casibus eorum 16 in computationem receptis:

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt
jam perfecte sanati	8	4
jam imperfecte sanati	2	0
sine effectu tractati	2	0
Summa	12	4

Morbi præsentis ratione habita,

	Mercurium sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
perfecte sanati	2	13
imperfecte sanati	1	2
sine effect. tractat	0	3
Summa	3	18

Hæc vero omnia de vi mercurii antea porrecti in effectum kali hydriodici nihil confirmant.

Ex omnibus 15, quorum sanatio completa habita est, 10 fuerunt, quorum sortem ad hoc tempus comperire potuerimus. Unus modo ex iis, mense dimidio peracto, morbo recidivo correptus est, ceteri omnes hucusque integri evaserunt. Quibus posterioribus intervallum inter sanationem illam et hoc tempus medium evenit 2,806 ann.

Hinc, sicut in pustulis monuimus, quodammodo probabile fit:

morbos recidivos post tubercula syphilitica kali hydriodico sanata haud dubie esse rariores.

In 5 modo casibus, iisque omnibus perfecte sanatis, tubercula sola occurrerunt, in ceteris omnibus cum variis aliis luis symptomatis fuerunt conjuncta, unde vero nihil deducere licet.

Si itaque perspicitur, sanationem completam ægrotis 15 ex 21 esse paratam, durationem mediam curationis omnium casuum 44,6 dies amplecti, casus denique recidivos haud dubie rarius apparere, inde atque ex antecedentibus concludere licet:

kali hydriodicum fere eandem vim in tubercula atque in pustulas syphiliticas habere.

Rhypia, ulcera profunda et crustosa cutis.

Has affectiones in unum conferre necessarium nobis visum est. Constat quidem, ulcera profunda et crustosa illa non solum e bullis et pustulis, verum etiam e tuberculis ulceratis originem trahere posse, neque pro certo statuere semper licuit, quamnam primo ab initio ulcus quoddam præbuerit formam. Utcunque autem primum affectionis initium sese habuit, postea tamen variæ formæ, indole quoque spectata, in unum confluunt.

Omnes fere auctores, qui kali hydriodicum in hanc formam adhibuerunt, *Williams* solo fortasse excepto, laudes haud mediocres ei tribuunt.

Casus 53, huc pertinentes, nobis adsunt, virorum enim 6, feminarum 47.

Quorum inter annos	15—19	fuit	1
	20—24	fuerunt	14
	25—29	—	13
	30—34	—	7
	35—39	—	7
	40—44	—	7
	45—49	—	4
		Summa	53

Ratione vitæ generis habita:

Ancillæ	fuerunt	17
scorta	—	8
nuptæ	—	13
innuptæ	—	7
viduæ	—	2
opifices	—	3
operarii	—	2
nauta	—	1
	Summa	53

Quorum sanatio contigit completa ægrotis 43, incompleta autem 7, tres modo sine effectu tractati sunt.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	brevissima.	longissima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	1687 d.	8 d.	114 d.	39,23 d.
imperfecte sanatorum....	200 [1]) -	4 -	91 -	33,333 -
sine effectu tractatorum..	153 -	30 -	72 -	51 -
Summa....	2040 d.			39,231 d.

Durationem morbi præsentis ante kali hydriodicum adhibitum si respexerimus, casibus 37 reputatis, apparebit,

diuturnitatem brevissimam fuisse 8 dierum
— longissimam — 13 annorum.
— omnium mediam — 394,23 dierum.

Ut melius deinde perspiciatur, quænam fuerit ratio inter durationem casuum præsentium eorumque sanationem kali hydriodico effectam, diuturnitatem mediam hanc dimidiatam ad computandum elegimus:

	Diuturnitatem dierum 197,115 non æquarunt.	Diuturnitatem d. 197,115 superarunt.
perfecte sanati	20	10
imperfecte sanati.........	4	0
sine fructu tractati	3	0
Summa	27	10

[1]) ægrotis modo sex computatis.

Quæ quum ita sint, quodammodo probabile videtur: *durationem horum symptomatum protractam effectui kali hydriodici optato favere.*

Quid faciat mercurius in affectiones syphiliticas antea sumptus, si kali hydriodicum postea contra hanc seriem in usum vocatum sit, explorantes, casibus 42 spectatis, hancce rationem invenimus:

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
jam perfecte sanati	23	14
„ imperfecte sanati	4	0
sine fructu tractati	1	0
Summa	28	14

Si curam modo præsentium casuum institutam respexerimus, hæcce efficientur:

	Mercurium sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
perfecte sanati	6	35
imperfecte sanati	2	5
sine fructu tractati	1	2
Summa	9	42

Ex his autem omnibus nihil certi erui potest, unde ratio inter mercurium antea sumptum et sanationem kali hydriodico effectam magis perspicue illustrari possit.

Ægrotorum, quibus incompleta modo sanatio kali hydriodico parata est, 4 completa contigit, mercurio subl. corros. ad

methodum Sachsii porrecto, et uni, decocto sarsaparillæ propinato, omnesque tres, quorum sanatio omnino non successit, eadem remedia cum fructu optato postea sumpserunt.

Ex ægrotis omnibus 43 perfecte sanatis fuerunt 23, quorum sortem postea insecutam ad hoc tempus observare potuimus. Spatium temporis inter casus sanatos et recidivos interjectum reputantes invenimus, durationem casuum 11, quot recidivos observare contigit, amplecti spatium 118,5 mensium,

intervallum	brevissimum	fuisse	mensis	0,5.
—	longissimum	—	mensium	48.
—	omnium medium	—	mens.	10,772.

Casibus vero 12, quos recidivi nulli hucusque insecuti sunt, spatio inter sanationem et hoc tempus computato, intervallum medium 3,158 ann. apparuit.

Quibus omnibus rite perspectis, fortasse concludere licet:

Morbos post hanc seriem kali hydriodico sanatam recidivos haud ita raros esse sæpissimeque intra anni spatium occurrere.

Casibus 19 hujus seriei, in quibus nulla alia syphilidis symptomata apparuerunt, omnibus, duobus modo imperfecte sanatis exceptis, sanatio completa remedio nostro effecta est.

Jam allatum est, sanationem completam ægrotis 43 ex 53 contigisse, eamque per spatium temporis minime longum paratam esse; si præterea memoria tenetur, seriem hanc ad graviores syphilidis formas, cum dyscrasia syphilitica haud raro conjunctas, sanatuque sæpe difficiles pertinere, quodammodo probabile fit:

kali hydriodicum, medicamen in hanc seriem valde efficax atque aptum, in usum sæpissime esse vocandum,

aliis scilicet remediis sæpe simul minus indicatis, etiamsi morbi recidivi haud raro occurrere videntur.

Ulcera profunda faucium.

Eam affectionem hic dicimus, quæ, Wallace auctore, syphilidis pustulosæ imprimis propria appareat, quam vero Ricord e tuberculis submucosis potissimum derivet, quæque, indole mala sæpe insignis, magnam faucium partem interdum omnino destruere possit.

Plerique scriptores, qui antea commemorati sunt, velut *Martini*, *Saville*, *Wallace*, *Haselberg*, *Mierendorph*, *Thierfelder*, *Gusmann*, *Mojsisovits*, *Hauck*; *Iudd*, *Johnson*, *Bullock*, *Laycock*, *Mayo*, *Carmichael*, *Graves*; *Ricord*, *Lafargue*, *Baumès*, *Trousseau*, *Seguin*, aliique magno consensu remedium nostrum laudarunt; singulis modo, velut *Williams* et *Neumann*, non satisfecit.

Nobis exstant 49 ægroti, hoc symptomate affecti, viri quidem 7, feminæ 42.

Quorum inter ann.	15—19	fuit	1.
	20—24	fuerunt . .	10.
	25—29	— . .	14.
	30—33	— . .	7.
	35—39	— . .	6.
	40—44	— . .	6.
	45—49	— . .	1.
	50—54	— . .	4.
		Summa	49.

Si genus vitæ respicimus:

Ancillæ	fuerunt	16.
scorta	—	7.
nuptæ	—	12.
innuptæ	—	7.
opifices	—	4.
operarii	—	3.
	Summa	49.

Quorum deinde sanatio completa ægrotis 42 contigit, incompleta modo 3, denique 4 hanc quidem curam frustra subierunt, sed mox postea mercurio subl. corr. adhibito sanati sunt.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	brevis-sima.	longis-sima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	1148 d.	7 d.	62 d.	27,333 d.
imperfecte sanatorum....	111 -	30 -	44 -	37,0 -
sine fructu tractatorum ..	75(:3) -	7 -	51 -	25,0 -
Summa	1334 d.			27,791 d.

Durationem morbi præsentis ante curam institutam, casibus 40 spectatis, invenimus

brevissimam . . . . . 7 dierum.
longissimam . . . . . 7 annorum.
omnium mediam . . . 309,06 dierum.

Si duratio morbi præsentis ante præterita, quam kali hydriodicum porrectum est, et effectus curationis inter se comparata erunt, ratio hæc apparebit:

	Diuturnitatem anni dimidii non æquarunt.	Diut. anni dimid. superarunt.
Cas. perfecte sanati	20	15
„ imperf. sanati.......	1	0
sine fructu tractati	4	0
Summa	25	15

Quum itaque omnes casus, qui per spatium temporis paulo longius durarunt, perfecte sanati sint, hæc certe cum

iis satis bene congruunt, quæ antea de ratione inter durationem et sanationem aliorum symptomatum kali hydriodico effectam intercedente allata sunt: *durationem morbi præsentis protractam effectui remedii optato favere*, etiamsi hoc loco nihil certum concludere audemus. Ecce, dua exempla, quæ ad hanc sententiam probandam non mediocriter conferunt: Vidua quædam, 41 annos nata, quæ fortasse syphilide congenita correpta fuit, in qua vero ulcera profunda et diffusa faucium, labii oris superioris et apicis nasi certe per menses 38 observata sunt, kali hydriodico per 20 dies adhibito, complete sanata est, neque jam post anni spatium morbus recidivus animadversus est. — Alii viduæ, 41 annos natæ, quæ per septem annos ulceribus, quibus maxima pars palati mollis sicut nasi externi et interni destructa est, fuit obnoxia, sanatio per 18 dies contigit completa, neque in hac ægrota, sex annis jam præterlapsis, symptoma recidivum hucusque apparuit.

Ut cognoscatur, quænam vis insit mercurio antea in syphilidem sumpto ad effectum kali hydriodici postea in hanc affectionem porrigendi, hæc computavimus:

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
jam perfecte sanati.......	21	20
— imperfecte sanati	2	1
sine effectu tractati.......	3	1
Summa	26	22

Unde quodammodo patere videtur:
mercurium in syphilidem antecedentem sumptum ad effectum kali hydriodici in hanc seriem exserendum nihil valere.

Quum porro 5 modo ægroti mercurium in morbum præ-

sentem tentaverint, quorum 4 postea kali hydriodico complete sanati sunt, hinc nihil deduci potest.

Ex iis, quorum sanationem completam judicavimus, 22 postea ad hoc tempus observare nobis contigit. Casibus itaque recidivis 11, quot nobis occurrerunt, perspectis, et imprimis spatio inter morbos sanatos et recidivos interjecto computato, apparuit,

intervallum omnium brevissimum fuisse mensis 1.
— — longissimum — — 54.
— — medium — — 11,409.

Casibus reliquis 11, quos nulli recidivi hucusque insecuti sunt, intervallum a sanatione medium fuit ann. 4,136.

Ex his omnibus quodammodo probabile videtur:

casus recidivos hujus seriei, kali hydriodico sanatæ, haud ita raros esse sæpissimeque primo anno post sanationem occurrere.

Casus 21, quorum 3 incomplete sanati sunt et unus sine fructu tractatus est, cum aliis symptomatis syphiliticis, tertiariis quidem omnibus, conjuncti fuerunt.

Jam commemoratum est, sanationem completam ægrotis 42 ex 49 paratam esse; præterea constat, ægrotos tres illos, quibus incompleta modo sanatio contigit, simul carie ossium nasi et palati duri, complicatione satis gravi, fuisse affectos; denique allatum est, durationem sanationis mediam fuisse 27 dierum, spatii temporis satis brevis. Quibus omnibus recte perpensis, simulque indolis atque ambitus affectionis ratione habita, concludere licet:

kali hydriodicum in hanc seriem remedium efficacissimum aptissimumque in usum sæpissime hic esse vocandum,

nobisque persvasum est, kali hydriodicum in hanc affectionem mercurio longe præferendum esse.

Sanatio, remedio nostro adhibito, persæpe ita celeriter procedit, ut melior ulceris adspectus fere quotidie observari possit, qui effectus ei ceterum alioquin haud raro est proprius. Velut ulcus in pariete posteriore pharyngis situm, cujus diametrus pollicem magnitudine excessit, per decem dies omnino sanatum vidimus.

Tubercula subcutanea.

Tres modo casus huc pertinentes collectos habemus, quorum in duobus sanatio successit completa, in uno vero remedium sine fructu adhibitum est.

Tumores systematis ossei et periostei.

In hanc syphilidis seriem remedium nostrum a *Gräfe*, *Williams*, *Clendinning*, *Saville*, *Winslow*, *Wallace*, *Ebers*, *Haselberg*, *Hacker*, *Asmus*, *Neumann*, *Brach*, *Ordelin*, *Sinnmayer*, *Thierfelder*, *Mojsisovits*, *Gusmann*, *Hauck; Judd*, *Johnson*, *Bullock*, *Laycock*, *Mayo*, *Carmichael*, *Graves; Ricord*, *Lafargue*, *Baumès*, *Lisfranc* aliisque adhibitum invenimus. Qui omnes laudem haud mediocrem ei tribuerunt, neque autem quisquam satis distinxit, utrum tumores cura instituta omnino fugati sint, an potius modo deminuti, an denique fere immutati permanserint, doloresque modo iis inhærentes evanuerint.

Casuum, qui nobis usui sunt, 51 huc pertinent, quorum 8 in viris, 43 in feminis observati sunt.

In quibus ratio ætatis hæc apparuit:

inter ann. 15—19 fuit	. . . . . .	1.
20—24 fuerunt	. . . .	10.
25—29 —	. . . .	19.
30—34 —	. . . .	8.
35—39 —	. . . .	4.
40—44 —	. . . .	5.
45—49 —	. . . .	2.
50—54 —	. . . .	2.
	Summa	51.

Si vitæ genus spectatur:

Ancillæ fuerunt	. . . .	9.
scorta —	. . . .	17.
nuptæ —	. . . .	9.
innuptæ —	. . . .	5.
viduæ —	. . . .	3.
opifices —	. . . .	2.
operarii —	. . . .	2.
alia munera gerentes —	. . . .	4.
	Summa	51.

Quorum sanatio completa, ita ut tumor cum dolore omnino evanesceret, modo 6 ægrotis contigit; sanatio vero ita incompleta, ut tumores varium in modum deminuti sint, in casibus 22 insecuta est; denique 23 ægrotis tumores immutati remanserunt.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	longissima.	brevissima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	217 d.	56 d.	12 d.	36,167 d.
imperfecte sanatorum....	881 (: 20)	98 -	18 -	44,05 -
sine effectu tractat......	674 (: 22)	81 -	12 -	30,636 -
Summa	1772 d.			36,917 d.

Durationem morbi præsentis ante kali hydriodicum porrectum in casibus 37 compertam habemus, quibus

duratio omnium brevissima fuit . . . . mens. 0, 5.

— — longissima — . . . . ann. 3, 0.

— — media — . . . . mens. 8, 146.

Ut perspiciatur, quamnam vim habeat duratio morbi ad eventum curæ remedio nostro institutæ, casus illos inter se ita comparavimus:

	Diuturnitatem anni dimidii non æquarunt.	Diuturn. anni dimid. superarunt.
perfecte sanati	4	1
imperfecte sanati	3	13
sine fructu tractati	9	7
Summa	16	21

Unde vero nihil certi elici posse videtur.

Ad explorandum, quid valuerit mercurius antea sumptus ad sanationem hujus seriei ope kali hydriodici postea tentatam, casus 36 respici potuerunt.

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
jam perfecte sanati	2	2
imperfecte sanati	14	4
sine fructu tractati	8	6
Summa	24	12

E qua ratione nihil certi concludere licet, sed tantum fortasse elucet, *mercurium antea porrectum sanationi horum symptomatum, si kali hydriodicum adhibeatur, haud obstare.*

Quum mercurius in morbum præsentem ante kali hy-

driodicum modo quater in usum vocatus sit, unde nihil eruere licet.

Post curam peractam ægrotos 25 ad hoc tempus usque observare potuimus, quorum 16 morbos recidivos passi sunt, reliqui 9 hucusque integri evaserunt. E casibus recidivis illis unus modo antea complete sanatus, annis duobus interjectis, apparuit, in reliquis, quorum sanatio aut imperfecta aut infausta judicata est, spatium temporis inter morbum curatum et recidivum fuit

brevissimum . . . . . . mensis 1.
longissimum . . . . . . annorum 3.
omnium medium . . . . mensium 9,833.

Reliquis 9, qui se sanos hucusque habuerunt, intervallum a sanatione præteritum fuit medium annorum 2,778.

Etiam ex hisce quodammodo probabile videtur.

casus recidivos hanc seriem kali hydriodico sanatam haud ita raro insequi, idque potissimum primo post sanationem anno accidere.

Omnes quidem, 8 modo casibus exceptis, cum doloribus syphiliticis, præterea 24 cum aliis symptomatis, plerumque rhypia et ulceribus profundis cutis fauciumve, conjuncti fuerunt, quæ complicationes nullam ad sanationem vim habuisse videntur.

Itaque si accuratius comprehendere studuerimus, quantum in hanc syphilidis seriem efficere valeat kali hydriodicum porrectum, facile apparebit, hanc disquisitionem summis premi difficultatibus. Jam antea commemoratum est, tumores in sex modo casibus cura instituta esse fugatos, inde vero minime per se sequitur, ut sanatio completa 6 solummodo ægrotis contigerit. Constat enim, tumores osseos et periosteos, quamvis causa specifica, quæ vocatur, minime appareat, remediis adhibitis sæpius ita modo removeri, ut intumescentiæ leviores

relinquantur, quæ tamen potius sequelæ morbi innocentes, quam ipsi morbi habendæ sunt. Ita etiam fieri potest, ut tumor osseus vel periosteus syphiliticus post kali hydriodicum adhibitum remanserit quidem, sed fieri quoque potest, ut hic tumor, viro syphilitico omnino vacuus, postea semper immutatus atque innocens reliquus fiat. Utrum vero tumori restanti inhæreat virus syphiliticum nec ne, signis diagnosticis satis certis in tempore omnino non probari potest.

Quæ quum ita sint, ex iis, quæ supra allata sunt, nihil certum eruere audemus; nihilominus persvasum nobis fit, *kali hydriodicum in hanc seriem*, comparatione cum aliis remediis, etiam cum mercurio, facta, quoad medicamina in hæc symptomata vim habere possunt, *satis prævalere.*

Dolores osteocopi.

In hoc symptoma, quod cum tumoribus osseis et periosteis intime cohæret, ab auctoribus fere omnibus nuper allatis kali hydriodicum adhibitum atque insigniter laudatum invenimus.

Casus hujus seriei nobis exstant 73, quorum 15 in viris, 58 in feminis occurrerunt. Quorum ratio hæc ætatis evenit:

inter ann.	15—19	fuerunt	2.
	20—24	—	20.
	25—29	—	20.
	30—34	—	12.
	35—39	—	6.
	40—44	—	8.
	45—49	—	3.
	50—54	—	2.
		Summa	73.

Ratione vitæ generis habita:

Ancillæ fuerunt	. . . .	16.
scorta —	. . . .	23.
nuptæ —	. . . .	10.
innuptæ —	. . . .	6.
viduæ —	. . . .	2.
opifices —	. . . .	8.
operarii —	. . . .	3.
alia munera gerentes —	. . . .	5.
	Summa	73.

Remedio nostro adhibito, dolores omnino fugati sunt in casibus 65, in tribus modo incomplete evanuerunt, in 5 denique nullus effectus insecutus est. In 35 modo ægrotis perfecte sanatis durationem curationis satis compertam habemus.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	longissima.	brevissima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	354 d.	34 d.	3 d.	10,114 d.
imperfecte sanatorum....	123	65	12	41,0.
sine effectu tractatorum..	204	87	15	40,8.
Summa...............	681 d.	—	—	15,837 d.

Si duratio morbi præsentis ante kali hydriodicum adhibitum diligentius examinata erit, casibus 49 in computationem receptis, apparebit:

diuturnitatem brevissimam fuisse dierum 2.
— longissimam „ annorum 10.
— omnium mediam „ mensium 10,498.

Jam vero ratione durationis casuum perfecte sanatorum cetero-

rumque accuratius perspecta, nihil quidem concludi licet, imprimis quia casus tam pauci non sanati restiterunt.

Quum 5 modo ægroti mercurium in morbum præsentem, in symptomata scilicet ejus leviora, ante sumpserint, quam kali hydriodicum contra dolores in usum vocatum est, nihil inde probari potest, sed paulum magis confert cognitam habere rationem, inter mercurium antea in syphilidem sumptum et sanationem dolorum jam kali hydriodico tentatam intercedentem. Hæc enim talis fuit:

	Mercurium antea sumpserunt.	Mercurium non sumpserunt.
jam perfecte sanati....	35	17.
- imperfecte sanati..	2	0.
sine effectu tractati....	3	1.
Summa..............	40	18.

Quod vero solum demonstrat, *mercurium antea in syphilidem sumptum sanationi dolorum kali hydriodico efficiendæ minime obstare.*

Ex ægrotis perfecte sanatis 37 fuerunt, quorum sortem ad hoc tempus persequi potuimus. Casus itaque 22, quot recidivos observare contigit, omnes spatium temporis inter morbum sanatum ac recidivum interjectum amplexi sunt mensium 214,25.

Intervallum brevissimum fuit . . mens. 1.
— longissimum — . . ann. 2.
— omnium medium . . mens. 9,739.

Casibus autem 15 restantibus, qui hucusque non reciderunt, spatium intermedium fuit annorum 3,406.

Omnibus itaque recte perspectis, quodammodo concludere licet:

casus recidivos dolorum kali hydriodico sanatorum haud ita raros esse atque intra anni spatium plerumque occurrere.

In ægrotis 28 dolores cum tumoribus non conjuncti fuerunt, quamquam in casibus 20 omnino fixi in locis diversis hæserunt, in 8 reliquis indolem vagam præbueruut.

Nuper allatum est, ægrotos 65 ex 73 complete esse sanatos, præterea hanc sanationem per spatium medium dierum 10 effectam esse; si porro animadvertitur, tres casus ex iis, in quos kali hydriodicum sine fructu adhibitum sit, cum carie, complicatione sane infausta, conjunctos fuisse, tum certe concludere licet:

kali hydriodicum in dolores osteocopos remedium esse efficacissimum, neque ullum esse symptoma syphiliticum, in quod effectum tam certum atque citum exserat.

Persæpe experti sumus, dolores illos, symptoma molestissimum, quod ægrotos non solum nocturno, sed etiam diurno tempore vexaret, sive per singulos dies, sive per annos ita durassent, medicamine nostro paucos dies adhibito ita omnino esse fugatos, ut somnus gratus et tranquillus, tamdiu frustra desideratus, demum percipi posset; itaque putamus, *remedium hic in usum sæpissime vocandvm esse et mercurio præsertim præferendum*, qui tumorum abitum in suppurationem haud ita raro promoveat.

Caries et necrosis.

Plerique auctores, qui effectum kali hydriodici in hanc seriem separatim commemorarunt, laudes solitas ei tribuerunt, velut *Ebers*, *Malin*, *Kratzenstein*, *Sinnmayer*, *Thortsen*, *Ruhbaum*, *Mojsisovits*, *Gusmann*, *Hauck*; *Bullock*, *Johnson*, *Laycock; Lafargue*, *Trousseau* aliique, singulis vero, velut *Williams*, *Hancke*, *Seidler*, hoc remedium non satisfecit.

Modo 17 casus huc pertinentes collectos habemus, quorum 4 in viris, 13 in feminis observati sunt.

Ex iis inter ann.	20—24	fuit	1.
	25—29	fuerunt	5.
	30—34	—	4.
	35—39	—	2.
	40—44	—	3.
	45—49	—	1.
	50—54	—	1.
		Summa	17.

Vitæ genere spectato:

Ancillæ	fuerunt	4.
scorta	—	3.
nuptæ	—	3.
innupta	—	1.
viduæ	—	2.
opifices	—	3.
operarius	—	1.
	Summa	17.

Quorum ægrotis 6 sanatio completa parata est, incompleta solummodo 4; 7 denique remedium frustra sumpserunt.

Diuturnitas curationis

	omnium casuum.	longissima.	brevissima.	omnium media.
perfecte sanatorum......	267 d.	109 d.	18 d.	44,5 d.
imperfecte sanatorum ...	199	81	30	49,75.
sine fructu tractatorum ..	446 (:6)	150	35	74,333.
Summa	912 d.	—	—	57 d.

Durationem morbi præsentis ante kali hydriodicum porrectum, 12 modo casibus computatis, diversam invenimus,

sicut brevissimam . . . . mens. 1.
longissimam . . . . . ann. 10.
omnium mediam . . . . . . ann. 2,845.

Ceterum nihil de ratione inter durationem morbi ejusque curationem intercedente elicere par est.

Ad explorandum, quid faciat mercurius in syphilidem antecedentem sumptus ad sanationem morbi præsentis ope kali hydriodici promovendam, 14 casus respici potuerunt, itaque

	mercurium antea sumpserunt.	mercurium non antea sumpserunt.
jam perfecte sanati	2	1
- imperfecte sanati ...	4	0
sine fructu tractati	5	2
Summa................	11	3

Mercurium in morbum præsentem modo tres sumpserunt, et quidem frustra, quorum 2 deinde kali hydriodicum sine fructu adhibuerunt, 1 incomplete hoc remedio sanatus est.

Hæc autem omnia nihil ad effectum kali hydriodici illustrandum conferunt.

Casuum perfecte sanatorum unus, anno interjecto, recidivus apparuit, tres vero, intervallo a sanatione omnium medio annorum 2,917 jam præterlapso, in morbum eundem nondum reciderunt.

Tres denique imperfecte sanati intra anni spatium, morbo ngravescente, nosocomium iterum petierunt.

Quamquam numerus tam parvus nobis in manibus fuit, tamen ex omnibus allatis quodammodo probabile fieri videtur

kali hydriodicum, etiamsi efficax in hanc seriem appareat remedium, tamen esse non ita certum.

Animadvertendum est, curationem hujus affectionis in universum sæpe diutius produci, quia ad exfoliationem ossis completam longum interdum tempus requiratur, itaque satis difficile fit rationem certam effectus medicaminis reddere.

Ex iis ægrotis, in quos kali hydriodicum nullum effectum exseruit, tres postea mercurio omnino sanati sunt, itaque errant, qui credant, mercurium in hanc seriem perniciosum modo esse remedium.

Cachexia syphilitica.

Quamvis observationes, quæ nobis exstant, non tam explete atque accurate descriptæ sint, ut quidquam numerando hic exhiberi possit, tamen omnino necesse est, ut cachexia illa, quæ vocatur, diserte commemoretur, quia in sanationem singulorum syphilidis symptomatum, si kali hydriodicum in usum vocatur, vim habet graviorem. Cachexiam igitur syphiliticam dicimus statum organismi totius morbosum, qui non tam symptomatis singulis jam allatis et pertractatis quam habitu ægroti universali indicetur. Perturbatio scilicet fere omnium functionum infirmitasque fere omnium organorum gradu diverso apparet. Totum corpus emaciatum, faciem præterea terrestrem oculosque hebetes præbet ægrotus, languor et quasi rigiditas omnium artuum, symptomata febrilia intercurrentia, multa deinde et varia et pectoralia et abdominalia, quæ statum prorsus hecticum et collapsum interdum afferunt, variæ systematis nervosi alienationes, animus depressus, quin etiam deperditus, memoria abolita aliæque mentis perturbationes vario modo ægrotum afflictant et vexant.

Omnia hæc mala utrum ex usu mercurii vel incauto vel

irregulari vel repetito originem imprimis trahant, an potius ab individuali ægrotorum constitutione proficiscantur, nobis non satis liquet, sed disquisitio hujus rei diligentior etiam a proposito nostro aliena est.

Status hic morbosus, imprimis levior ejus gradus, non solum observari potest, si symptomata, quæ ad tertiam syphilidis periodum a Ricord referuntur, simul adsunt, sed etiam cum symptomatis periodi secundæ conjunctus occurrit, quo in stadio præcipue fit manifestus, si lues venerea per longius tempus in corpore serpserit. Hanc cachexiam simul respici semper opus est, si disquiritur, quinam effectus in casu quodam, qui occurrit, e kali hydriodico applicato sit exspectandus. Nam experientia uberrima satis comprobatum est, kali hydriodicum in hunc statum esse remedium efficacissimum, quod omnia mala quasi extemplo mirumque in modum fugare interdum valeat. Jam antea commemoravimus, kali hydriodicum in symptomata periodi secundæ aliquid valere; præterea satis probabile nobis videtur, durationem casuum hujus periodi protractam effectui remedii optato favere, itaque fieri quoque potest, ut sanatio sæpius contigerit, imprimis quod cachexia illa devicta sit; symptomata vero singula, in faucibus, cute aliisque locis hærentia, fortasse levioris ad sanationem fuerint momenti. Hanc autem opinionom observationibus nostris accuratius illustrare non possumus.

Unaquaque serie ita pertractata, jam omnes series, in quas remedium nostrum valuit, in unum aliqua ex parte colligere convenit, ut pretium ejus melius perspiciatur:

	Casus occurre-runt.	Ex iis perfecte sanati sunt	Igitur ex 100 ægrotis perfecte sanati occurrerunt.	Diuturnitas media singulorum casuum.
Dolores osteocopi	73	65	89,041	10,114 dierum
Ulcera profunda faucium .	49	42	85,714	27,333
Rhypia, ulcera prof. et crust. cutis	53	43	81,132	39,23
Tubercula cutis.........	21	15	71,429	44,6
Pustulæ cutis ecthymatosæ	27	19	70,37	50,0
Maculæ, squamæ et papulæ cutis	49	26	53,061	57,731
Affectio faucium superfic.	47	24	51,064	40,583
Caries et necrosis.......	17	6	35,294	44,5
Tumores ossei et periostei	51	6	11,765	36,167

Qua ex tabula facile perspicua fit ratio, quæ inter varias series intercedet, si sanatio kali hydriodico tentata erit, quoad comparationem hanc in partem instituere licet. Hæc vero per se in omnes partes minime fieri potest; ita imprimis ultimæ duæ series locum in tabula, qui, ratione effectus kali hydriodici habita, iis consentaneus sit, omnino non obtinuerunt.

Ut facilius intelligatur, quidnam observationes nostræ de vi mercurii antea adhibiti ad effectum kali hydriodici postea tentatum in universum attulerint, hoc in unum locum collegimus.

Mercurium in syphilidem antecedentem sumpserunt:

	Totus ægrotor. numerus.	Perfecte sanati.		Imperfect. sanati.		Sine fructu tractati.	
		Mercurium sumpserunt.	Merc. non sumps.	Mercur. sumps.	Merc. non sumps.	Mercur. sumps.	Merc. non sumps.
Maculis, squamis et papulis cutis affecti	22	11	2	1	2	3	3
Pustulis cutis	17	10	5	1	0	0	1
Tuberculis cutis	16	8	4	2	0	2	0
Affect. superf. faucium	34	13	5	2	3	4	7
Rhypia et ulc. crust. cutis..	42	23	14	4	0	1	0
Ulcer. profundis faucium...	48	21	20	2	1	3	1
Tumoribus osseis & periost.	36	2	2	14	4	8	6
Doloribus osteocopis	68	35	17	2	0	3	1
Carie et necrosi	14	2	1	4	0	5	2

Mercurium in syphilidem præsentem sumpserunt:

	Totus ægrotor. numerus.	Perfecte sanati.		Imperfect. sanati.		Sine fructu tractati.	
		Mercurium sumpserunt.	Merc. non sumps.	Mercur. sumps.	Merc. non sumps.	Mercur. sumps.	Merc. non sumps.
Maculis, squamis et papulis cutis affecti	44	7	17	3	6	7	4
Pustulis cutis	27	4	15	0	4	2	2
Tuberculis cutis	21	2	13	1	2	0	3
Affect. superf. faucium	46	3	21	2	6	4	10
Rhypia &c.	51	6	35	2	5	1	2

Casus post sanationem recidivi:

	Observati.	Recidivi.	Non recidivi.
Macularum cutis &c.	11	3	8
Pustularum cutis	12	2	10
Tuberculorum cutis	10	1	9
Affect. superf. faucium	16	7	9
Rhypiæ &c.	23	11	12
Ulcerum faucium prof.	22	11	11
Tumorum oss. et periost.	25	16	9
Dolorum osteocop.	37	22	15
Cariei et necrosis	4	1	3

Quoad vero ex tribus his tabulis per varietatem casuum computationes et inde conclusiones facere liceat, aliorum judicio relinquimus.

Si *dosim*, qua remedium nostrum porrectum est, respexerimus, eam aliam ab aliis auctoribus allatam inveniemus. Alii enim solutionem mitiorem (ʒβ—1. s. in aqu. destill. ℥viij) adhibuerunt, ex qua ℥β bis vel ter in die porrecta est, alii fortiorem (ʒij—℥viij) potius in usum vocarunt. Ita formula Wallacei cel. postea usitatissima fere semper hæc fuit: ℞. kali hydr. ʒij, s. in aqu. destill. ℥viij, unde ℥β quater in die propinata est. Ægroti nostri omnes ejusdem solutionis ℥β ter in die sumpserunt.

Dum plerique solutionem aquosam simplicem potissimum adhibent, nonnulli, imprimis medici Anglici, kali hydriodicum in decocto sarsaparillæ solutum præferunt, alii denique cum iodio puro variis quantitatis rationibus conjungunt.

Quantum varia dosis medicaminis porrecti ad sanationem faciat, neque ex aliorum neque e nostris observationibus co-

gnosci potest; fere omnes enim, et qui doses minimas, et qui maximas medicaminis propinarunt, eandem laudem ei tribuerunt. Nonnulli, maxime autem cel. Ricord, contendunt summi esse momenti, dosim sensim augeri, quo facto sanationem et frequentiorem et celeriorem et certiorem evadere, dum ægroti plerumque incommoda omnino nulla inde sentiant. Itaque Ricord a granis 10 in die porrectis incipiens, diebus nonnullis semper interjectis, sensim ad ℈ij—ʒiß, quin etiam interdum ad ʒij vel ℈vij in die sumptos adscendit. Exemplum ad hanc Ricordi sententiam illustrandam quodammodo idoneum nuper nobis occurrit.

A. H., meretrix publica, constitutione scrophulosa, quæ mense Februario 1840 in nosocomium syphilide affecta primum intravit, postea decies ob eundem morbum plerumque recidivum hic decumbens, per hoc tempus permulta et varia medicamina sæpissime cum levatione vel etiam cum effectu completo, sed brevi modo durante, sumpsit, itaque præter remedia localia kali hydriodicum sæpius repetitum, calomel, mercurius subl. corr. ad methodum Sachsii, deutoioduretum hydrargyri, ammonium carbonicum, opium, radix sarsaparillæ, cortex chinæ acidumque sulphuricum vario tempore ei porrecta sunt. Jam postremum die 23 mensis Aprilis 1844 in nosocomium recepta faciem cachecticam et tristem, corpus satis emaciatum præbuit, præterea rhypia regionis parotideæ dextræ et supraorbitalis sinistræ, crustis nigris, ostreatis illis insigni, doloribus osteocopis vagis antibrachiorum et crurum, tuberculo subcutaneo magno suræ dextræ jam suppurante, tophis tibiarum et periostosi tibiæ dextræ ulcerata fuit afflicta. Porrecta sunt præter remedia localia pulv. Doweri et solutio kali hydriodici ter in die. Qua cura per septimanas 11 continuata, vires et carnes ægrotæ quidem nonnihil refectæ sunt, dolores evanuerunt, ulceraque rhypiæ faciei sanata sunt. Sub

finem curationis autem rhypia aliis locis denuo prorupit, tuberculum subcutaneum novum suræ apparuit, quæ omnia in ulcera dolorifica, foetidissima, lardacea, semper increscentia et corrodentia conversa sunt. Protoioduretum hydrargyri, jam in usum vocatum, deminutionem manifestam omnium symptomatum attulit. Qua cura ad finem perducta, denuo kali hydriodicum ter in die a die 14 mensis Augusti ad diem 10 mensis Octobris sumpsit; itaque prosperum effectum remedium hoc initio exseruit, ut ulcera nonnulla prorsus sanarentur, tumoresque ossei fere evanescerent; sed jam die 27 mensis Septembris ulcus ad angulum oris dextrum sensim deinde increscens apparuit, postea die 10 mens. Octobr. simile alterum in glabella duoque parva in concha auris dextræ observata sunt, simulque tuberculum subcutaneum satis magnum in inferiore parte suræ sinistræ palpari potuit. Ulcerationibus postea semper adauctis habitumque foetidissimum præbentibus, tuberculo subcutaneo illo in ulcus magnum, profundum, sensim increscens et corrodens mutato, kali hydriodicum sepositum est, et pilulæ cupreæ porrectæ sunt, neque vero hoc medicamen quidquam efficere valuit.

Die 11 mens. Novembris. Ulcus ad angulum oris diametrum pollicis totius, ulcus glabellæ et dorsi nasi pollicis $\frac{3}{4}$, conchæ auris fere eandem magnitudinem offert, diametrus vero ulceris cruris fere tres pollices æquat. Omnes ulcerationes circumferentia indurata et rubra, marginibus abscissis, hypertrophicis et elevatis, fundo excavato, impuro, gryseo, lardaceo, largam ichoris copiam secernente, præditæ sunt. Jam præscriptum est:

℞. *Kali hydriod. ʒij*
Jodii puri gr.v
Aqu. destillat. ℥viij
m. d. ʒß quater in die.

Dosis deinde ita quotidie aucta est, ut die 18 Novbr. ʒβ solutionis octies in die porrecta sit, quam copiam ad diem primum mens. Decbr. usque quotidie sumpsit ægrota; posthac dosi eodem modo sensim deminuta, die 20 Decbr. denique medicamen sepositum est, ita ut ægrota per 40 hoc dies grana 74 iodii puri et drachmas 29,625 kali hydriodici sine incommodo ullo, ne minimo quidem, sumpserit.

Remedio perpaucos modo dies ita porrecto, ulcera omnia adspectum multo meliorem statim præbuerunt et ad sanationem, tumore et rubure circumdato manifeste decrescente, optime tetenderunt. Die 29 mensis Novbr. omnia ulcera faciei aurisque omnino sanata sunt, et ulcus suræ, magnitudinem vix dimidiam offerens, papillulis carneis lætis impletum apparuit. Die 20 mens. Decembris: Jam ulcus cruris quoque tantum ad sanationem tetendit, ut magnitudine diametrali circiter pollicem dimidium æquaret, prorsus planum, haud luxurians purumque esset; habitus ægrotæ universalis quoque ita in melius conversus est, ut faciem satis floridam, vires carnesque vegetas præberet.

Jam facile concedimus, minime constare, num morbus recidivus denuo appareat, quantumve iodium cum kali hydriodico conjunctum ad prosperum illum eventum fecerit, sed hoc certe hic casus docet, operæ pretium esse, in casibus præsertim desperatis, dosim vulgarem remedii sensim augere, ut eventus optatus hac fortasse via impetrari possit.

Ut denique *diætam*, quam hæc medendi methodus requirit, breviter attingamus, hæc paulo parcior quidem esse debet, minimo vero restricta, quæ vocatur, necessaria est. Alii nutrimenta et vegetabilia et animalia promiscue concedunt, dum alii, imprimis *Clendinning*, *Gusmann* et *Mojsisovits*, animalia

omnino præferunt. Præcipue ab alimentis farinaceis abstinendum esse censent. Mojsisovits, qui excrementa ægrotorum, cibis et solis farinaceis et solis carneis nutritorum exploravit, iodium excrementis immixtum invenit, si cibos farinaceos sumpsissent, quod vero in iis ægrotis minime contingeret, qui nutrimenta carnea sola ingessissent. Concludit itaque, amylum cibis contentum, iodium solutum præcipitare, atque ita hoc impediri, quo minus in organismum transeat, quare postea solummodo cibos animales et cum fructo quidem porrexit.

Ab aere libero temperato ægrotos prohiberi non ita necesse esse videtur.

Jam ad extremum graviora, quæ observationes hic pertractatæ docuerunt, afferentes, uberiori aliorum experientiæ hæc aut confirmanda aut refellenda imprimis tradimus:

1) Kali hydriodicum in syphilidem universalem remedium esse efficacissimum.

2) Hanc vero efficaciam non, ut Ricord condendit, ad symptomata tertiaria plane ac solum circumscribendam esse.

3) Neque ad seriem, quam Wallace pustulosam dicit, semper esse constringendam.

4) Kali hydriodicum in dolores osteocopos remedium omnium esse efficacissimum atque optimum, eosque hoc remedio fere semper brevi fugari.

5) Deinde ulcera faucium profunda, rhypiam, ulcera profunda, tubercula pustulasque cutanea sæpissime hoc remedio sanari.

6) Remedium in affectiones faucium superficiales et reliquos secundarios, qui dicuntur, morbos cutaneos syphiliticos haud adeo insignem effectum exserere.

7) Quum totum illud regimen diæteticum et præcipue summa

illa cautio, quam cura mercurialis sæpius requirit, kali hydriodico adhibito non opus sit, quumque imprimis vitæ conditio ægroti curam mercurialem, fortasse quidem multo magis salutarem, interdum haud permittat, kali hydriodicum in syphilidem secundariam nonnunquam cum fructu posse adhiberi.

8) Si regula vel indicatio communis kali hydriodici in syphilidem adhibendi sit statuenda, eam fortasse potius hanc fore: quo magis syphilis universalis in profundum penetraverit, eo efficacius kali hydriodicum sese præstabit.

9) Usum mercurii in syphilidem antecedentem effectui kali hydriodici optato certe sæpe non obstare, sed fortasse potius favere, id quod tamen omnino dubium relictum est.

10) Casus morbi recidivos haud ita raros esse et sæpissime intra anni integri spatium apparere.

